DISPUTATIO

PHILOLOGICO-CRITICA

DE

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLA AD PISONES,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

PRAESIDE

DAVIDE JACOBO VAN LENNEP,

JUR. UTR. DOCT. ET. IN. ILLUSTRI. AMSTEL. ATHENAEO,
HISTOR. ELOQ. POËS. ANTIQ. LITT. GRAEC. ET LAT.
PROFESSORE,

AD PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONIT

JACOBUS HENRICUS VAN REENEN,

AMSTELODAMO-BATAVUS,

A. D. LUNAE, QUI ERIT XXIII. JUNII,

Hora Meridianâ, in Majore Athenaei Auditorio.

AMSTELODAMI,
APUD HENRICUM DIEDERIKS.
ANNO CIↃIↃCCCVI.

PATRI. OPTIMO.

S.

PRAEFATIO.

Quod plerisque bonarum ſtudioſis litterarum adoleſcentibus accidere ſolet, ut auctorum veterum maxime poëtas probent, idem accidisſe et mihi fateor, ex quo primum familiaritatem aliquam cum iis contraxi. Et vero magna eſt eorum praeſtantia, magna vis ad juveniles animos capiendos. Quamvis enim haec in univerſum poëtarum dos habeatur, ut, *quid ſit pulcrum*, *quid turpe*, *quid utile*, *quid non*, ad juvenum certe ſenſus *planius ac melius Chryſippo et Crantore dicant*, ea tamen dos in veteribus praecipue poëtis elucet: cujus rei cauſſa, ſive in ſimplicis imitatione naturae, quam presſius ſemper veteres ſecuti ſunt, ſive in majore linguarum, quibus utebantur, efficacia atque virtute, ſive in antiquitatis ipſius praecipua quaſi auctoritate quadam ac dignitate, ſive alibi forte quaerenda ſit, rem ipſam ita ſe habere, non facile, ut puto, quisquam negaverit.

Mihi vero, quam ex veteribus poëtis capiebam, voluptatem magis etiam auxerunt, atque in incredibilem eorum admirationem verterunt Lennepii Viri Cl. de Ovidio habitae ſcholae; quas cum et asſiduo frequentarem, et crebro iteratione domeſtica repeterem tum et Ovidium ſubinde cum aliis Auguſti ſaeculi poëtis, monitu Praeceptoris optimi, conferrem, quamquam et ceteros vehementer probabam, qui tamen unus prae ceteris animum adverteret, HORATIUS erat. Accidit autem, ut in hujus praeſtantisſimi auctoris libellum *de Arte Poëtica* paullo ante incidisſem, quam idem Vir Cl. ſcholas de Terentio haberet, in quibus frequens illius operis facta mentio meam in legendo illo diligentiam magis etiam acuit quodammodo atque intendit. Verum et illud accedebat, quod cum diverſisſimas eruditorum hominum de illo tam parvo libello opiniones ferri, ne tum quidem prorſus ignotum mihi esſet, (neque enim per rei celebritatem esſe poterat) eo majori illum per me cognoſcendi cupiditate tenebar. Huic igitur operi ſummis animi viribus incumbens, ſubinde etiam inter legendum, ubi locum aliquem rectius cepisſe, vel ex pluribus locis collatis de totius operis ratione atque conſilio paullo certior factus esſe mihi videbar, obſervationes meas qualescumque in chartam conjicere, ſimul vero etiam plurium librorum atque interpretum circumſpicere ſubſidia coepi: cujus rei cum aliquando coram Viro Cl. Lennepio Praeceptore meo mentionem injecisſem, ſtatim ille, qua eſt in diſcipulos ſuos benevolentia, comiter et apparatu librorum me inſtruxit, et, ſi quid ultra requirerem, promtum ſe ſemper ad me juvandum fore ſignificavit. Itaque cum eo etiam communicavi annotationes meas, quarum ille nonnullas adeo probavit, ut continuo mihi, ſicut eas diligentius elaborandi, ita reliquas etiam eadem ratione tractandi et omnino coeptum opus perficiendi auctor exiſteret: quod neque inutilis mihi ille futurus labor esſet, neque etiam, ſi fructum ejus aliquando publici juris facerem, inglorius. Nam et nova quaedam invenisſe me dicebat, et non omnia, quae praeclare jam Antiquiores monuisſent, aeque nunc in vulgus esſe cognita. quorum igitur intermortuam fere memoriam revocando, ſubinde etiam novis ea ratio-

* ni-

nibus atque argumentis confirmando, aliquam apud peritos harum rerum judices laudem conciliare mihi possem.

Suasit igitur Vir Cl. ut in interpretibus Horatii, praesertim antiquioribus, colligendis summam porro curam atque diligentiam adhiberem. Atque ea quidem res ut ex voto mihi cederet, Praeceptorum inprimis atque Amicorum factum est benevolentia, quam pro merito laudare, ne dicam paribus umquam beneficiis aequare, uti non possum, ita, quod unice possum, grato semper animo recordabor.

Editiones igitur et interpretes Horatii in usum mihi maxime sequentes cesserunt.

Horatius per Jacobum Locherum poëtam laureatum et Professorem in Gymnasio Friburgensi cum argumentis, scholiis, glossa interlineari et iconibus, ligno incisis. Argentorati 1498. *fol. apud Joannem Reinhardum cognomento Gürninger.* (vidd. Fabricius, Bibl. Lat. I. p. 407. edit. Ernest. Mitscherlich. de Horatii editt. p. LXX.)

Q. Horatii Flacci liber de Arte Poëtica Jacobi Grifoli Lucinianensis interpretatione explicatus. Lutetiae 1552.

Q. Horatii Flacci Venusini poëtae omnia poëmata cum ratione carminum et argumentis ubique insertis, interpretibus Acrone, Porphyrione, Jano Parrhasio, Antonio Mancinello, nec non Jodoco Badio Ascensio, viris eruditissimis, Scholiisque Angeli Politiani, Marci Antonii Sabellici, Ludovici Caelii Rodigini, Baptistae Pii, Petri Criniti, Aldi Manutii, Matthaei Bonfinis, et Jacobi Bononiensis, nuper adjectis. praeterea annotationes Doctissimorum Antonii Thylesii Consentini, Francisci Robortelli Utinensis atque Henrici Glareani apprime utiles additae sunt a Joanne Maria Bonello. Venet. 1559. *in fol.* (vid. Mitscherlich. p. CXII. coll. p. CI.) Haec editio scholia in Artem Poëticam exhibet Jodoci Badii Ascensii, Jani (Parrhasii), Acronis, Porphyrionis, Glareani, Bonfinis, Caelii, Jacobi Bononiensis, Aldi Manutii.

Joannis Baptistae Pignae Poëtica Horatiana ad Franciscum Gonzagam Cardinalem. Venetiis apud Vincentium Valgrisium. 1561. *in fol.*

Ars Poëtica Horatii et in eam Paraphrasis et παρεκβολαὶ, *sive commentariolum Joannis Sambuci Tirnaviensis Pannonii. Antverp. apud Plantinum* 1564. *in 8vo.*

Q. Horatii Flacci Venusini poëtae lyrici elegantissimi opera, Grammaticorum XL, *tam Antiquissimorum, quam Neotericorum, partim justis commentariis, partim succinctis annotationibus, singulari studio et amplissimis sumtibus in unum corpus collectis, illustrata, variisque ac vetustissimis exemplaribus collata, et menda in iisdem sublata. Basileae apud Henric. Petri. fol.* 1580. In hac editione scholia in Artem Poëticam exhibentur Acronis, Porphyrionis, Christophori Landini, Francisci Luisini Utinensis, Jacobi Grifoli Lucinianensis, Jasonis de Nores Cyprii, Jani Parrhasii Cosentini, Viti Amerbachii, Aldi Manutii, Jacobi Bononiensis, Joannis Hartungii, Henrici Glareani, Theodori Pulmanni, Antonii Mureti, Georgii Fabricii, Joannis Thomae Freigii, Jodoci Badii Ascensii.

In Horatii Flacci Artem Poëticam Paraphrasis Lamberti Ludolfi Pithopoei Daventriensis. Heidelbergae. Anno 1595. 8*vo.*

In Q. Horatium Flaccum Dionysii Lambini Commentarius. Accedunt Henrici Stephani in Horatium diatribae. Aureliae Allobrogum. A. 1605. *in 4to.*

Q. Horatius Flaccus cum erudito Laevini Torrentii commentario. item Petri Nannii Alcmariani commentarius in Artem Poëticam. Antverpiae ex officina Plantin. apud Joannem Moretum. A. 1608. *in 4to.*

Q. Ho-

Q. Horatius Flaccus cum commentariis et enarrationibus Commentatoris Veteris et Jacobi Cruquii, ex officina Plantinian. Raphelengii. A. 1611. *in* 4*to.*

Q. Horatii Flacci opera omnia. accedunt D. Heinsii de Satyra Horatiana libri duo cum ejusdem in omnia poëtae opera animadversionibus, longe auctioribus. 2 *vol. Lugduni Batav. ex officina Elzeviriana. A.* 1629. *in* 12*mo.*

Q. Horatius Flaccus ex recensione et cum notis atque emendationibus R. Bentleji. editio tertia. Amstelaedami apud Wetstenios A. 1728. *in* 4*to.*

Q. Horatii Flacci poëmata ex antiquis codicibus et certis observationibus emendavit, variasque scriptorum et impressorum lectiones adjecit A. Cunighamius. accedunt ejusdem animadversiones in R. Bentleji notas ad Q. Horatium Flaccum. Hagae Comitum. A. 1721. *in* 8*vo.*

Oeuvres d'Horace en Latin, traduites en François par Mr. Dacier et le Pere Sanadon avec les remarques de l'un et de l'autre. Amstel. Wetstein. 8 *vol.* 1739. *in* 8*vo.*

Les quatres Poëtiques d'Aristote, d'Horace, de Vida, de Despreaux, avec les traductions et des Remarques par Mr. l'Abbé Batteux. 2 *vol. Paris.* 1771. *in* 8*vo.*

Horazens Episteln an die Pisonen und an den Augustus mit kommentar und Anmerkungen nebst einigen kritischen abhandlungen von R. Hurd aus dem Englischen übers. und mit eigenen Anmerkungen begleitet von J. J. Eschenburg, Leipzig. 1772. *in* 8*vo.*

Horazens Briefe aus dem Lateinischen übers. und mit historischen Einleitungen und andern nöthigen Erläuteringen versehen von C. M. Wieland. Leipzig. 1790. *in* 8*vo.*

Horazens Epistel an die Pisonen mit einem durchgaengigen Kommentar und anmerkungen herausgegeven von M. Engel. Mainz. 1791. *in* 8*vo.*

Q. Horatii Flacci Eclogae cum Scholiis veteribus. Castigavit et notis illustravit Gulielmus Baxterus. Varias lectiones et observationes addidit J. M. Gesnerus, quibus et suas adspersit J. C. Zeunius. Lipsiae. A. 1802. *in* 8*vo.*

Des Q. Horatius Flaccus Briefe über die Dichter und die Dichtkunst der Römer an den Augustus, Florus und die Pisonen, erläutert von J. F. Haberfeldt. Leipsig. in der Juniusischen Buchhandlung 1802. *in* 8*vo.*

Horum autem alios jam statim ab operis institutione, alios postea demum nactus sum interpretes, unde mihi saepissime accidit, ut, quae ipse prius summo cum labore meo investigassem, postea jam ab aliquo veterum occupata deprehenderem. Itaque et dolebam, quod mihi novae observationis laudem alius praeripuisset, et simul tamen etiam aliquo modo gaudebam, quod ita meum qualecumque judicium veteris probatique interpretis judicio atque auctoritate confirmatum viderem.

Ceterum quia non tam editionem Artis Poëticae novam dare (quod potius elegans Mitscherlichii Viri Cl. doctrina praestiterit) quam disputationem de ea scribere constituissem, auctor mihi Lennepius fuit, ut instituti operis huncce inprimis mihi finem proponerem, consilium, quo libellum hunc Horatius scripserit, investigare. Verum ut in aliis etiam artibus atque disciplinis saepenumero ad res vel minimas conficiendas multis magnisque opus esse videmus instrumentis, ita mihi quoque ad unum illud Horatiani operis consilium explicandum maximo sane apparatu, neque levibus opus fuit instrumentorum ac subsidiorum copiis: multa denique praemittere debui, quibus quasi via ad propositum finem sterneretur.

Etenim ad consilium Horatii recte exponendum primo quidem et ante omnia requirebatur, ut cum singula poëtae verba, tum et nexum universorum, apteque cohaerentium inter se sententiarum ordinem probabiliter et ipse perciperem et vero percepta etiam aliis impertirem. Nisi enim de singulis locis eorumque inter se connexione constaret, haud facile quemquam de universi operis summa, ratione, consilio, certum aut probabile ferre judicium posse, id vero clamare mihi res ipsa videbatur.

Igitur disputationis nostrae *Capite Primo* carmen Horatii in solutam orationem convertimus, ejusque velut expositionem sive Paraphrasin exhibuimus: verba exquisitiora aut poëtica in nota magis et vulgaria commutavimus; sententias, quae aliquid impediti habere viderentur, explanavimus; locorum vero ac cogitationum poëtae inter se connexionem, qualem quidem eam nobis animo informabamus, quantumque fieri illud poterat, additis vel interjectis nonnullis, indicavimus. Ad singula autem quasi in consilium optimos semper adhibuimus interpretes, et illud quidem, quod una omnium consentienti voce constitutum esset, pro vero habendum esse duximus. Ubi vero inter se dissentirent, unius quidem prae ceteris sententiam amplecti debuimus; aliorum tamen, certe nobiliores illas, itidem in annotatione subjecta commemoravimus, appositis simul locis veterum, quae huic vel illi interpretationi favere viderentur. An ipsum Poëtae textum adderemus, aliquamdiu quidem haesitavimus incerti: postremo tamen in legentium commodum addere constituimus. tum et in margine summa rerum capita adscribere visum fuit.

Quia tamen in hoc opere loca occurrebant haud pauca, ad quae propter insignem eorum difficultatem, aut magnum ad totius carminis rationem intelligendam momentum, variasque de iis eruditorum opiniones, brevi annotatione defungi haud satis poteram, visum est uberiorem eorum explicationem in *Caput* rejicere *secundum*. Sic igitur Horatii sententia pro meo quidem captu constituta, ad reliqua, quae in Horatii consilio explicando omitti non poterant, perrexi. Itaque *Capite tertio* inquirendum duxi de personis, quibus opus suum Horatius inscripsit, ex quo capite sane, qui celebratissimam de hoc opere Wielandi, Viri elegantissimi, opinionem recordatus fuerit, maximam partem hancce disputationem pendere non negaverit. De personis autem satis constare non poterat, nisi simul inquireretur in tempus, quo hunc librum Auctor conscripserit. Igitur duo haecce, personas et tempus, junctim eo capite spectavimus.

In *quarto Capite* scriptionis formam consideravimus. Nobis esse Epistola videbatur. Hanc vero opinionem nostram ut etiam aliis probaremus, quae de forma Epistolari passim a viris doctis tradita essent, apponere, deinde ad eam normam auctoris nostri scriptum examinare, necessarium duximus. Cum hac quaestione duae aliae connexae erant de scriptionis materia ac titulo. Quibus omnibus pertractatis *Quinto* demum *Capite* de scriptoris agere consilio potuimus. Hoc igitur Capite nobiliores veterum ac recentiorum eruditorum de illo sententias, breviter et commemoravimus et cum supra dictis collatas sub examen revocavimus. Deinde et nostram qualemcumque sententiam adjecimus: ita fore sperantes, ut hoc certe nomine nostram B. L. probaturus industriam esset, quod, quae apud varios Auctores sparsa habebantur, ea conjunctim hic spectanda exhibuissemus, quo facilius variarum opinionum commenta inter se conferens, judicium ipse cum de singulis, tum de universa re ferret. Quidquid sit, indulgentiam ejus et juvenis et scribendi rudis imploro.

DISPUTATIO
DE
Q. HORATII FLACCI
EPISTOLA AD PISONES.

CAPUT PRIMUM.

HORATIANAE EPISTOLAE EXPOSITIO.

Poëta ante omnia legem unitatis ac simpli-

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cujus, velut aegri somnia, vanae
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formae. Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus, et hanc veniam petimusque, damusque vicissim:
Sed non ut placidis coëant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

EXPOSITIO.

Si pictor in unam imaginem diversorum animalium membra tam monstrose congerat, ut capiti formosae mulieris subjiciantur cervix equina, corpus variis variarum avium plumis inductum, squallida piscis atri (1) cauda: num facile, amici forte pictoris (2) ad spectandum admissi, risum ibi continebitis?

Atqui tabulae isti, o Pisones, simillimum fore librum credite, cujus species (ἰδέαι) nullam neque singulae cum singulis connexionem, neque junctim spectatae veritatem habebunt; cum ex male cohaerentibus, aliam semper formam alià diversi generis excipiente, prorsus ut in somniis aegroti, nullum facile totum coalescat. *Verum, dicat forte aliquis*, aeque poëtis ac pictoribus data semper potestas quidlibet audendi fuit. Scimus, et hanc veniam uti nobismet ipsi petimus, ita vicissim aliis largimur (3): sed non eo usque, ut naturâ pugnantia conjungantur, immitia placidis, angues volucribus, agni tigribus socientur.

(1) Horatium hic *turpiter atrum* dixisse ut Ep. I. 3. 22. *turpiter hirtum*, atque ideo *turpiter* non cum verbo *desinat* jungendum esse, rectè docuit Haberfeld.

(2) Sic recte Landinus, Luisinus, Grifolus, alii. Pictor ad spectandam rem tam lepidam non continuo quemvis admissurus est: illam amicis tantum ostendet; sed hi, quamvis amici, quamvis pictori bene cupientes, sibi tamen a risu temperare non poterunt. Perperam igitur, recentiores quosdam secutus, Haberfeldius interpunctione mutatâ, legit *spectatum admissi risum teneatis? amici Credite Pisones.*

(3) Sic etiam Grifolus, recte Iäsonem carpens, interpretantem, *petimus poëtae a pictoribus, iisque vicissim largimur. cf. et Acron.*

-citatis obser- vare debet;

Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Adsuitur pannus: cum lucus et ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: et fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? amphora coepit
Institui; currente rota, cur urceus exit?
Denique sit, quod vis, simplex dumtaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem lenia nervi
Deficiunt animique: professus grandia, turget:
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae:

E X P O S I T I O.

Atqui (respondeat ille) poëtae saepe istiusmodi quid faciunt variandi studio: varietate vel inprimis commendatur carmen: varietas in nullo non opere delectat. Scimus, quid velis: *ideo* (1) gravibus saepe et magnificis initiis unus et alter purpureus pannus, latè qui splendeat, adsuitur, cum lucus et ara Dianae Tauricae, (2) et rivulus, per amoenos campos decurrens, aut fluvius Rhenus, aut Iris describitur. *His certe descriptionibus variatur poëma; sed, si loco intrudantur alienissimo, si operis unitatem perturbent*, aeque sunt ridiculae, atque est cupressus, quamvis egregie pictus, in tabula naufragi votivâ. (3) *Figulus* amphoram coepisti instituere, cur pro amphora mihi urceum exhibes? *Poëta Tragoediam exorsus es. cur eam nimio variandi studio in poëmatis Epici habitum deformas?* Debet unum et simplex esse, quod scribere instituis, non varium et multiplex. (4) *An igitur plane carmen variare non licet? Omnino licet, habetque apta et concinna variatio magnam laudem, ut plane culpam admittere censendus sit, qui ea lectores detinere nesciat. Sed hic statim jam arte ad poësin opus esse cernitur.* (5) Maxima *enim* pars vatum, o Pisones, falsa opinione recti decipimur. Itaque, dum brevis esse cupio, in obscuritatem incurro, dum lenitatem (6) sector, vim et spiritum amitto, dum grandia loqui volo, in tumorem abripior, dum tumorem vito, in abjectam humilitatem delabor. Fuga vitii, *quoties arte caret ac ratione* (7), in oppositum ducit vitium.

(1) Vid. Observationes cap. sq.

(2) Quae *Orestea* dicitur Ovidio Metam. XV. v. 489. est igitur eadem, quae et Ariciae colebatur. hujus aram atque lucum celebrat Virg. Æn. VII. 762. cf. Cruquius.

(3) Notant Scholiastae Graecum proverbium *μή τι καὶ κυπαρίσσου θέλεις* originem ducere a pictore, qui, ut naufragium pingeret, conductus, velletne cupressum adpingi, miserum hominem rogavit.

(4) Vid Lambin. ad h. l. et Vossius Inst. Poët. I. c. 4. §. 8. Bentlej. legit *quidvis*. At vero sic parum interesset, utrum pro amphora urceus, modo formâ probabilis, exiret. atqui illud exire debet, quod primum auctor instituit, quod *vult* formare.

(5) Vid. Obss. (6) Vid. Bentlej. ad h. l. (7) Vid. Obss.

et recte componere totum (τὸ ὅλον). Hoc ut possit, adaequatam viribus materiem eligat. ita nec ordo ipsi deerit,

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber, unus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos,
Infelix operis summa: quia ponere totum
Nesciet: hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor;
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, et praesens in tempus omittat:
Hoc amet, hoc spernat, promissi carminis auctor.

E X P O S I T I O.

Qui variandi studio rem unam ad prodigium usque (1) variat, is et delphinum silvis, et aprum fluctibus appingit. *At laudem tamen in iis descriptionibus mereatur. Atqui hoc non sufficit.* An tu statuarium probares, qui ungues quidem et capillos unice (2) exprimere atque imitari sciat, totam vero statuam fabricare prorsus nesciat? Ego certe non magis huic similis esse fabro poëta velim, quam nasum distortum, ceteras oris partes venustate aliqua spectabiles habere. (3) *Unde vero hoc fit, ut infelices operis summa tot poëtas videamus? inde maxime, quoniam in eligenda materia non satis virium suarum rationem habuerunt.* (4) Quicumque igitur aliquid componitis, eligite materiam vestris viribus aptam et parem, diuque perpendite vobiscum, quid consummare possitis, quid non. Qui materiam, secundum quod potest (5), elegerit, eum neque facundia deseret, neque ordo perspicuus. Ordinis, nisi fallor, (6) haec virtus ac venustas erit, ut in carmine, de quo hominum exspectatio mota sit, (7) jam nunc dicat auctor, quae jam nunc dici debent et plane omitti non possunt; (8) pleraque vero differat et in aliud tempus, quo praesentiorem illa vim habitura sint (9), remittat; porro ex magna rerum, quas argumentum suppeditat, copia, quaedam tractanda eligat, quaedam, ut suo proposito minus convenientia, relinquat.

(1) Lambinus *supra omnium hominum fidem.* cf. etiam Hurd. in bonam partem non accipiendum esse recte jam Luisinus vidit, qui, *poëta*, inquit, *decipitur specie recti, ergo non bona, sed prava cupit.*

(2) Vid. Observationes.

(3) Sic Bentlei; alii *quam pravo vivere naso.*

(4) Vid. Obss.

(5) Acronem sequimur, et est *potenter* hic κατὰ δύναμιν, *aequam viribus materiam*, ut minime cum Hurdio emendandum sit *pudenter.*

(6) Cod. Helmstad. *haud ego fallor*, quam lectionem ut inurbanam et ineptam merito carpsit Haberfeld.

(7) Sic Lambinus. Acron *promissum carmen* intelligit *magnum.* cf. Auctores ab Haberfeldio citati.

(8) Vid. Obss. (9) Lambinus explicat *in praesenti tempore*, id est hoc tempore; sed ita vix est, ut Horatium tautologiae crimine liberemus. *praesens* saepe notat *maxime efficacem, potentem, idoneum.* cf. Haberfeld. cui etiam, ut Regelsbergero, *differat*, est *in varias operis partes distribuat.*

nec facundia, quae potissimum cernitur, callide vel junctis verbis, vel novatis. Verba enim in rebus novis nova fingere

In verbis etiam tenuis cautusque serendis,
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum: si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum;
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget: dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova factaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent, parce detorta. Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur adquirere pauca,
Si possum, invideor? cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit. Licuit, semperque licebit
Signatum praesente nota procudere nomen.
Ut silvae foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos, nostraque: sive receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus; sterilisve palus prius aptaque remis
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum:

E X P O S I T I O.

Ad facundiam vero quod attinet, (1) poëta *primo* tenuem adhibere diligentiam debet circa formationem et juncturam verborum (2). Etenim magna laus est, ubi solers junctura novam fecerit dictionem vulgarem. (3) Quod si forte necesse est abditas et ignotas adhuc res novis verbis declarare, et sic nomina fingere proavis inaudita: dabitur haec poëtae licentia, pudenter scilicet ac modeste sumta. Verba autem nova et nuper facta auctoritatem obtinebunt, si erunt e Graeca lingua in usum Latini sermonis paululum deflexa. Quid? cum hoc Caecilio Plautoque ab antiquioribus concessum Romanis fuerit, non Virgilio Varioque etiam nostri homines concedant? Cur mihi invideant, si pauca possum adquirere nova verba, cum Cato et Ennius, ea usi licentia et scribendi ratione, sermonem patrium novis verbis ditaverint, et nova rerum nomina protulerint. Licuit ac licebit semper, uti nummum, ita nomen procudere, praesenti nota signatum (4). Quemadmodum vertente anno novas arbores folia producunt, primis, *quae ver produxerat*, cadentibus, (5) ita veterum dictionum auctoritas obsolescit: nuper autem productae, juvenum instar, florent vigentque. Homines et humana omnia morti sunt obnoxia, sive regio sumtu portus (6), tutum quamvis magnae classi receptaculum, effodiatur, sive palus, prius sterilis et remis apta, jam siccata aratro proscindatur ac vicinas urbes frumento alat.

(1) Vid. Obs. (2) Vid. Obs. (3) Vid. Obs.

(4) In aliis MSS. est *procudere*, in aliis *producere*: (vid. Lambin. et Bentlei.) *nomen* in omnibus, pro quo tamen Luisinus, et Bentlejus *nummum* maluerunt. Sed cum Acron ad vocem *signatum* hoc dicat *tractum* esse *a nummis*, certe et is *nomen* legisse credendus est: et similiter Juvenalis Sat. VII v. 5.

Communi feriat *carmen* triviale moneta.

(6) Vid. Obs. (5) Vid. Obs.

quidni liceat?

Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt;
Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax.
Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore vocabula; si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

Porro facundia cernitur adhibitis convenientibus materiae, metro.

Res gestae regumque, ducumque, et tristia bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre.

EXPOSITIO.

Sive amnis cursum, agros devastantem, mutare cogatur, in certiorem alveum deductus, mortalium opera (1) peribunt: tantum abest, ut verborum decor et vis permaneant. Multa jam pridem obsoleta renascentur, alia, quae nunc in honore sunt, vicissim obsolescent vocabula, si modo usus voluerit, quem penes arbitrium, et jus (2) et norma est loquendi.

Altera facundiae poëticae pars (3) *cernitur in adhibendo convenienti materiae, quam tractandam poëta suscepit, metro, sive carminis genere.* Regum ac principum virorum bella et res gestae, quo metro optime celebrentur, Homerus exemplo suo docuit. Elegiacis versibus primum ad querelas usi sunt, deinde etiam ad res laetas. Quis tamen primus Elegiarum auctor fuerit, magna etiam nunc inter Grammaticos controversia est. At Iambis primum Archilochum adversus inimicos usum esse satis inter omnes constat. Hoc carminis genus postea etiam comoedia et tragoedia adamarunt, tamquam idoneum colloquiis, (2) et omnium optime populi strepitus vincens (3) et actioni inprimis accommodatum (4). Lyrico carminis genere celebrari Musa Deos et Heroas victoresque ludorum voluit: amores etiam iuvenum et vini laudes et conviviorum cani licentiam.

(1) Sic enarrat Schol. Cruquii. itaque certe *facta* legit, non, ut Bentlejus dedit, *cuncta*. Deinde sequitur *nedum sermonum stet honos:* atqui si *cuncta* legas, hoc etiam *sermones* comprehendit. *facta* Horatius dixit, ut Graeci ἔργα. Sic et Ovid. Ep. Her. X. 60.

Non hominum video; non ego facta boum.

(2) Sic leg. non *vis*, auctoritate veterum codicum. vid Lamb. et, qui de diversa horum verborum significatione egit, Engel.

(3) Haberfeldium sequor. ceterum cf. ad h. l. Ovid. Remed. Am. v. 379. sqq. et Vell. Pat. I. 5.

(4) Cf. Aristot. Poëtic. 4. Cic. de Orat. III. 47. in Orat. 56. 57.

(5) Acron *altius in scena sonantem, quam clamor populi est.* Lambinus et alii explicant, *quia spectatores strepere desinunt iambicis versibus delectati:* sed mihi prior explicatio Scholiastae magis placet, ob citatt. ab Haberf. Epist. ad Aug. II. 1. v. 200 sqq.

(6) πρακτικὸν dixit Aristoteles l. c. c. 24.

et colore dictionis, ut semper servetur id, quod Graeci vocant τὸ πρέπον. igitur et cuique personae suus sermo

Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego, si nequeo ignoroque, poëta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decentem.
Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque
Projicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
Non satis est pulchra esse poëmata; dulcia sunto,
Et, quocumque volent, animum auditoris agunto.

E X P O S I T I O.

Igitur poëta, qui quidem eo nomine dignus sit, *et metrum operi suo* (1) *conveniens*, *et omnino* proprios ei colores, tributasque, velut a natura, partes observare debet, aut si nescit, potius addiscere, quam, quia fateri ignorantiam pudori habet, ideo discendi occasionem praetermittere. Quod dixi de coloribus operum observandis, hoc eo valet, ut in comoedia vitiosus habeatur sententiarum et stili color tragicus, vitiosus in tragoedia comicus (2). Thyestae coenam humili plebejaque et fere comica dictione enarrari (3) quis ferat? *Sed hic etiam arte opus est ac judicio.* Etenim fieri interdum potest, ut et tragico similis color recte adhibeatur in comoediis, ut quando senex gravibus dictis filium castigat (4): et contra personae tragicae (5) non tam elatus quam humilis sermo conveniat, ut plerumque in dolentibus obtinet. Telephus enim et Peleus, ut miserationem sui moveant, ambo pauperes et exsules, recte omnem tragicum tumorem (6) abjiciunt, atque ipsa humilitate querelae, quae sit rerum suarum conditio, ostendunt. Scilicet non satis est poëmata docte esse ad oeconomiam composita, verbis et versibus diserta atque magnifica; debent etiam ad affectum esse dulcia, (7) ut sic animum auditoris agant, quo velint.

(1) Vid. Obsf.
(2) Cf. Cic. de Opt. Gen. Orat. c. 1. pr.
(3) *Narrari ait, quia ea non exhibetur agendo, sed annunciando.* verba sunt Vossii. Instit. Poët. II. c. 13. §. 25. quo circa minus recte in nonnullis codicibus scriptum est *tractari.*
(4) Non tamen re vera tragicus fit; *Numquid* enim *Pomponius istic Audiret leviora, pater si viveret.* Horat. I. Serm. IV. 40.
(5) Vid. Obsf.
(6) Victorio *projicit ampullas* est *grandia loquitur*, sed male, vid. Vosf. Inst. Poët. II. c. 14. §. 10. et Lambin.
(7) Vid. Obsf.

detur, ratione habita affectuum,

Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia laedent,
Telephe, vel Peleu; male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum
Vultum verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentem, lasciva; severum, seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram,

fortunarum, conditionis, aetatis atque patriae unius cujusque:

Aut ad humum moerore gravi deducit, et angit:
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Divusne loquatur, an heros,
Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus; et matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.

EXPOSITIO.

Vultus hominum (1) uti ridentibus adridere, ita adflere (2) flentibus solent. si vis mihi lacrymas elicere, primum tibi ipsi dolendum est: tunc tua infortunia me laedent. (3) Quod si poëta Telepho aut Peleo orationem tribuerit, ab eorum persona et conditione prorsus abhorrentem, (4) equidem aut dormitabo aut ridebo. Tenendum igitur, vultum moestum etiam verba tristia decere, quemadmodum iratum minacia, ludentem lasciva, severum seria. Natura enim secundum varios fortunarum habitus primo animum nostrum intus conformat, ut illum vel gaudio perfundat, vel ira accendat, vel moerore deprimat: deinde vero illos motus interprete lingua in vulgus effert. (5) Itaque si a personae loquentis fortuna sermo abhorreat, merito erit, ut poëtam risu omnes spectatores (6) excipiant. *At in fabula recte scripta* multum *etiam* intererit, utrum Deus an Heros (7) loquatur; utrum senex maturus ac prudens, an fervidus aetate juvenis; utrum potens matrona, an nutrix sedula; utrum vagus mercator, an agro veluti adfixus colonus; utrum Colchus an Assyrius, Thebanus, an Argivus verba faciat. (8).

(1) Vid. Obss. (2) Sic Bentlei. legit pro vulgari *adsunt*. vid. ipsa viri acutissimi nota. cf. et Haberfeld, qui tamen *adsunt* retinuit.

(3) Vid. Lamb. et, quem citat, Cic. de Orat. II. 45.

(4) Vid. Obss.

(5) Vid. Obss.

(6) Vid. Obss. (7) Schol. ad Hom. Il. A. v. 4. οἱ θεοὶ θνηταῖς γυναιξὶ συνερχόμενοι ἐποίουν τὸ τῶν Ἡρώων γένος. De aliis lectionibus *Davus an Heros*, *Davus an Eros* cett. vid. Lamb. et Haberf.

(8) In *Colchus* et *Assyrius* regionum discrimen significatur, in *Thebis* et *Argis* urbium. in eadem Graecia diversissimi erant Thebanorum et Argivorum mores.

etiam morum. hi in notis personis receptae traditioni, in novis sibi convenientes serventur. notae res ut facilius tractantur,

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenae committis, et audes
Personam formare novam; servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.

E X P O S I T I O.

Hoc igitur primum poëta observet, ut pro variis personarum fortunis, conditione, aetate, patria, varios etiam iis animi sensus, adfectus, cogitationes, (variam διανόιαν) tribuat (1). Mores vero personarum (ἤθη), notarum quidem, quales fuisse fama tradiderit, tales etiam poëta illos repraesentet (2); novarum autem et a se primum inductarum, quarum fingendi sunt mores, per totam fabulam eosdem et sibi convenientes servet. Si forte Achillem retractas, *illum ab Jove, Thetidis in gratiam*, honoratum (3), sit in fabula tua, *sicut est apud Homerum*, inquietus (4) iracundus, inexorabilis, *in laudis ac vindictae studio prae ceteris hominibus* acer, (5) qui et jura tamquam se minora contemnat, et nihil non armis arroget. Sit Medea (*convenienter fabulis*) ferox (ζαμένης) et invicto in malis animo; Ino mitior et ad lacrymas prona; Ixion perfidus; Io vaga; Orestes tristis. Quod si quid ab aliis poëtis non tractatum in scenam proferre et personam sic formare novam audes, omnino debes, ut supra dixi, convenientia sibi (6) fingere, ut, qualis ab initio persona prodierit, talis ad extremam usque fabulam servetur, nec quidquam a tributis ipsi moribus alienum agat (7). Sane arduum, ac difficile est a nullo ante occupata sic tractare, ut proprie tua dici possint (8). Itaque melius est argumentum, ex Iliade petitum, in tragoediae actus redigere, quam ignota et indicta primum proferre.

(1) Vid. Obss. (2) Vid. Obss.

(3) Vid. Obss. (4) ἀκαμὰς: etiam ποδὰς ὠκὺς. vid. Haberf.

(5) Μαλ' ἐμμεμαὼς Il. Y. vers 468. et Il. A. tot.

(6) Servetur in moribus τὸ ὁμαλὸν. Vid. Arist. l. c. cap. 15. et, qui haec optime explicat, Voss. Institt. Poët. l. c. 8. §. 9.

(7) Hoc est, quod Aristot. dicit l. c. κἂν γὰρ ἀνώμαλός τις ᾖ, ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον δεῖ εἶναι. conf. Voss. l. cit. Hurd. et Haberf. ad h. l.

(8) Vid. Obss.

ita novari ipsa tractatione possunt, scite et ad Homeri exemplum

Publica materies privati juris erit, si
Non circa vilem patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex:
Nec sic incipies, ut scriptor Cyclius olim;
FORTUNAM PRIAMI CANTABO, ET NOBILE BELLUM.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
DIC MIHI, MUSA, VIRUM, CAPTAE POST MOENIA TROJAE,
QUI MORES HOMINUM MULTORUM VIDIT ET URBES.

EXPOSITIO.

Verum, inquies, ita nulla me inventionis laus manet. Quidni maneat; et satis ampla quidem (1), cum materies, quamvis publicata jam et in vulgus nota, (2) facile possit eleganti tractatione tua fieri? eleganti, inquam, tractatione. Sed ita nec haerere debes circa patulum omnibus, ignotum nemini (3), tritum vilemque vulgaris tractationis ac dispositionis orbem; (4) neque, si quid ex Graeco in Latinum convertas, verbum pro verbo anxie reddere; neque, si imitari volueris, religiosa nimis imitatione in eas te angustias conjicere, unde postea, deprehenso vitio, te honeste expedire (5) propter pudorem, vel quam operis tibi inconsulto legem dixisti, non possis. *Legem operis sibi inconsulto etiam illi dicunt,* (6) qui inde a principio nihil non magnificum pollicentur, ut olim scriptor Cyclius (7): *Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.* Ecquid tandem hic promissor tanto dignum hiatu proferet? montes parturiunt: (8) mus nascetur. Quanto rectius hic, qui inepte nihil molitur: *Dic, mihi, Musa, virum captae post moenia* (9) *Trojae,*
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

(1) Sic et Engel. nexum constituit.
(2) Vid. Obss.
(3) Vid. Haberf.
(4) Vid. Voss. institt. Poet. L. II. C. 14. §. 9.
(5) Conigham et Sanadon legunt *referre*, prima longa; quod ipsum insolentius. deinde recte Engel. docet *proferre* melius huic loco convenire, si quidem hoc tam ad pudorem, qui regredi, quam ad operis legem, quae progredi vetat, referri possit.
(6) Vid. Obss.
(7) Alii *Cyclicus*: sed vid. Bentlei. et Haberf.
(8) Ita Bentlejus pro vulgato *parturient.* Ipsum proverbium Horatius a Graecis sumsit. Athen XIV. 7. ὤδινεν ὄρος Ζεὺς δ᾽ ἐφοβεῖ. τὸ δ᾽ ἔτεκεν μῦν. de quo proverbio vid. etiam Porphyrion.
(9) Sic recte Bentlejus edidit; etenim verba Homeri sunt ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε. cf. Haberfeld. aliae editiones habent *tempora.*

instituta.

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri;
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo;
Semper ad eventum festinat; et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi;
Si fautoris eges aulaea manentis, et usque
Sessuri, donec cantor, Vos Plaudite, dicat;
Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor, maturis dandus et annis.

Ceterum, sive nota, sive nova persona inducatur.

EXPOSITIO.

Non fumum e luce, sed ex fumo lucem dare cogitat, ut deinde lectu jucunda proferat miracula, Antiphatem, Scyllam, Cyclopem, Charybdim. Idem etiam docuit, non nimis a longinquo peti exordia debere: neque enim Trojani belli historiam ab gemino orditur Ledae ovo; neque, si Diomedis ab eodem bello reditum (νόστον) (1) celebrare voluisset, narrationem suam, *ut alius poëta fecit*, ab interitu duxisset Meleagri. Homerus semper ad propositum finem properat, ac proinde auditorem statim in medias (2) res, tanquam cognitas, rapit, nec minuta historici scriptoris diligentia omnes Trojani belli res persequitur, sed eas tantum, quae nitescere tractatae poterant: alias plane relinquit atque omittit. Interdum etiam ab historia recedit, eamque fabulis et figmentis exhilarat; sed semper ita fingit, ita falsa veris intermiscet, ut ne principio medium, medio finis discrepet. Tu, si fabulam conscribere volueris, cui spectatores faveant (3) ad finem usque, caveam non ante relicturi, quam ab histrione extremum illud pronunciari (4) plaudite audiverint; *haec praecepta accipe, quibus observatis facile et nostrum et populi favorem tibi concilies. Primo, ut ad mores servandumque in iis decorum redeam, illud inprimis cura, ut sint aetatibus congrui.* Itaque tibi notandi sunt aetatis cujusque mores, ut decorem (5) suum aeque pueris et adolescentibus, quorum mobilis et inconstans ratio est, ac provectioris et maturae (6) jam aetatis hominibus, apte tribuere scias.

(1) Vid. Obss. (2) Vid. Obss.
(3) Sic Bentlejus pro vulgato *plausoris*. Vid. tamen Obss.
(4) Vid. Obss. (5) Id est τὸ πρέπον, ut Lambinus, *quod decet*: non ut Dacier vult, *la beauté propre de l'age*
(6) Ita Bentlejus, cui Baxter. et Haberfeld. assentiuntur. Antiquam lectionem *naturis* probant Dacier. Gesner. Engel. Wieland. Lambinus *naturas mobiles* dici putabat, *quae variatis aetatibus immutarentur*.

aetatis cujusque mores servandi sunt.

Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum; gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbus juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque et amata relinquere pernix.
Conversis studiis, aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri;
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator, censorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt: ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles,
Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis.

Praeterea

EXPOSITIO.

Primam infantiam egressus puer, ludere cum aequalibus amat; quamcumque levem ob caussam statim irascitur, sed idem nullo negotio placatur; denique singulis fere horis mutatur. Imberbus (1) juvenis, dimisso tandem (2) paedagogo, equis maxime et canibus et campestribus delectatur exercitiis; idem flexibilis est ad vitium, reprehensionis impatiens, utque praesentium avidus, ita ad futura bona sibi prospicienda segnis, pecuniae prodigus, animo semper elatus, (3) in appetendo vehemens, sed, quas appetivit res, cito rursus abjiciens (4). Virilis aetatis alia jam ratio, alia sunt studia. Comparandis haec divitiis, amicitiis, honoribus intenta est, atque ideo cavet commisisse, cujus eam facti mox poeniteat (5). Multae senem molestiae circumveniunt, vel quia opes quaerit, et inventis uti non audet, vel quia omnes res timide et pigre administrat, procrastinandi vitio, et quamvis morti proximus, spem tamen in longinquum extendens. (6) Itaque praesens tempus mora inertiaque corrumpit, futuri tamquam melioris avidus. Porro morosus est, aevi puero se acti laudator, juniorum castigator atque censor. Scilicet multa anni venientes bona afferunt, multa recedentes secum auferunt. Itaque, ne forte in fabula juveni seniles partes mandentur, puero viriles, semper aetati cuique adjuncta, apta, propria, diligenti imitatione exprimemus.

(1) Alii *imberbis*, sed Acron, *imberbus*, inquit, *et imberbis, sicut inermus et inermis*, quod non notasset, nisi rariorem hanc formam *imberbus* scriptam invenisset.

(2) Parrhasius *ad juvenum*, inquit, *desiderium alludit.*

(3) Vid. Lamb. (4) Vid. Obss.

(5) Haberfeld. edidit *munire*, lectionem secutus codicis Helmstadiensis, etiam Regelsbergero probatam. ego antiquam retinui, quod contraposita magis elucere facit. Iuvenis est *mobilis*, *mutabilis* et amata *relinquere* pernix: at vir contra *commisisse* cavet, quod mox *mutare* laboret.

(6) Bentlejus legit: *Dilator, spe lentus, iners, pavidusque futuri:* sed. vid. Obss.

judicio opus est ad dignoscendum, quae in scenis agi, quae narrari debeant.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur:
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam: multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens:
Ne pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Quinque sint actus fabulae. Nec temere ad solvendum nodum Deus adhibeatur. Tres fere loquentes sint personae. Sed actoris partes

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult, et spectata reponi.
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit, nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.

E X P O S I T I O.

Porro (1) cum in scenis aut agatur res, aut intus acta referatur; constans observatio declaravit, animos spectatorum haud tam narratione rerum affici, quam praesenti ipsarum actu, quando oculis subjectae facilius fidem inveniunt (2). Neque tamen hoc ita accipias velim, ut promenda omnia in scenam judices; imo potius multa ab aspectu removeto, quae mox tamquam intus acta nuncius aliquis in scenam diserte ornateque proferat. Sic v. g. liberos coram spectatoribus (3) trucidare Medea (4) non debet, nec humana exta palam Atreus coquere, neque aut Procne in avem, aut Cadmus in anguem transformari: quae cuncta oculis subjecta magis inde spectatoribus absurda et incredibilia videantur, ita ut odium iis ac fastidium moveant. Porro, fabula ut placeat, ut poscatur a populo, iterumque spectanda reponatur (5), omnino quinque actus habere debet, non plures neque pauciores (6). Dei interventum, ad solvendum nodum, quem vocant, fabulae, ita demum probo, si dignus tanto vindice nodus fuerit. (7) Loquentes personae non plures tribus in scenam simul inducantur. quod si quando quarta intercedat persona, aut omnino non loqui debet, aut pauca (8). Sed actoris (9) partes chorus sustineat; nihil autem mediis actibus (10) intercinat, quod non proposito fabulae conducat, eique apte cohaereat.

(1) Etiam Engel. nexum ita constituit, ut Horatius pergat in praecipiendo, quid faciendum ei, qui detinere fabula spectatorem velit. vid. vers 153.

(2) Vid. Lambinus et inprimis Voss. instit. Poët. II. c. 4. §. 2. et c. 13. §. 24. sqq.

(3) Vid. Obss.

(4) In versu 185. Bentlejus pro vulgari lectione *nec* restituit *ne*. quem vide.

(5) Vid. Obss. (6) Vid. Obss.

(7) Vid. Lambinus, Haberfeld. et Obss. nostr. cap. seq.

(8) Vid. Lambinus.

(9) Antiquiores interpretes *Auctoris* legunt, quod recte improbat Lambinus, quem vid. et Obss. nostras.

(10) Vid. Obss.

chorus impleat, aequi semper et honesti studiosus. Tenendum autem ob chorum esse modos, non ob modos chorum: ne forte crescens in dies modo-

Ille bonis faveatque, et consilietur amice,
Et regat iratos, et amet pacare tumentes;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque, et apertis otia portis:
Ille tegat commissa, Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco juncta, tubaeque
Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
Aspirare et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu:
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi castusque verecundusque coibat.
Postquam coepit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus;
Accessit numerisque modisque licentia major.

EXPOSITIO.

Chorus ille et faveat bonis (1) et amice consilia (2) cum iis ineat; chorus iratos regat, et tumentium aestus sedare studeat (3). Idem et frugalitatem victus et salubrem justitiam et observantiam legum et concordiam atque pacem laudet. Idem commissa sibi arcana fideliter tegat. (4) Idem et numina precetur, ut sublevatis miseris superbos (ὑπερηφάνους) deprimant. Olim choro aspirabat tantum, ejusque cantum et saltationem adjuvabat tibia (5); non illa, ut nunc (δίαυλος) orichalco (6) juncta (7) et tubae ut magnitudinem, ita sonum habens, sed tenuis et simplex (μόναυλος), paucis foraminibus, cujus tamen sonus facile per omnia spectatorum sedilia, nondum referta nimis, exaudiri poterat. Illuc enim populus, uti parvus, (8) ita modestus, verecundusque conveniebat. Sed postquam victor (Romanus) prolatis imperii finibus etiam pomoerium proferre coepit, (9) ac festo ludorum tempore adeo veteris frugalitatis oblitus est, ut vel de die potaret, (10) major quoque *fabularum* numeris et modis licentia accessit,

(1) Lambinus in duobus codicibus *que* post *faveat* omissum dicit: eos autem sequitur Haberfeld. Equidem non ausus sum rejicere, cum, quod saepe sic positum apud poëtas reperiatur, tum etiam, quod Horatius non tam facile metrum soleat negligere.

(2) Vid. Lambinus, coll. Engel. et Haberfeld. nonnulli, ut Dacier. *concilietur amicis.* sed vid. Sanadonum, qui et Cruquium citat in omnibus suis scriptis *consiliari amice* legi testantem.

(3) *Quavis animi aegritudine laborantes.* Vid Bentlejus. Ante eum legebatur *peccare timentes.* Haberf. cum nonnullis legit *pacare timentes*; verum illud etiam hoc continet.

(4) De hoc officio chori vid. omnino Dacier.

(5) Vidd. Sambucus et Nannius.

(6) De orichalco h. l. egit Sanadon.

(7) Sic Lambinus et Bentlejus ediderunt. alii *vincta.* Recte Dacier. *ut dijudicarem*, inquit, *tibiam illam ipsum vidisse, necesse foret.*

(8) Merito Dacierius Tan. Fabri conjecturam improbat, pro *parvus* legentis *parcus.*

(9) Pro *latior* v. 209. Bentlejus ex conjectura dedit *laxior:* sed vulgatam recte tuiti sunt Dacier. et Haberfeld. *latior murus* non est, ut Bentlejus exponit, *crassior*, sed *latius ductus*, et opponitur *angustis moenibus.* Vid. Ovid. III. Fast. v. 181.

(10) De hac re vid. Nannius.

-rum licentia luxuriare etiam chorum faciat.

Indoctus quid enim ſaperet liberque laborum,
Rusticus urbano confuſus, turpis honesto?
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces crevere ſeveris,
Et tulit eloquium inſolitum facundia praeceps:
Utiliumque ſagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepuit ſententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate jocum tentavit; eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque ſacris, et potus, et exlex.
Verum ita riſores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere ſeria ludo;

Satyrorum chorus, tragoediae quondam ſubjunctus, etiam nunc

E X P O S I T I O.

quam colluviei hominum, quae inde theatrum inundavit, gratam acceptamque fuiſſe, non est, quod magnopere miremur. (1) Quid enim ſaperet rudis et incondita illa luxuriantium otio rusticorum multitudo? (2) Sic factum est, ut, qui antea choris tantum aſpirabat tibicen, ipſe jam in pulpitum prodiret, ubi longo pretioſoque ſyrmate ſpectabilis, et mimica inter canendum incedens, tam istis oculos hiantis plebeculae, quam clariori grandis tibiae ſono aures oblectaret. Sic etiam lyrae in tragoedia ſonus crevit, (3) cui ſe, quod factum nollem, postremum etiam poëtae accommodantes carminis genus affectarunt, torrentis instar incitatum ac turgidum, planeque novum et inſolitum, adeo ut chori, cui propoſitum eſſe debebat, vel in praeſens utilia monere, vel probabiliter futura conjicere, tam obſcura (4) jam ſententia ſit, quam oraculi Delphici. *De Satyrorum autem choro et omnino de Satyricâ fabula teneri haecce velim.* (5) Tragicus poëta, primis jam temporibus, (6) ſtatim post peractam tragoediam, in eandem ſcenam etiam nudos et agrestes Satyros induxit; ita mordacem adhibere jocum tentans, ut tamen etiam gravitatis rationem haberet. Scilicet jocorum illecebris et grata novitate detinendus erat ſpectator ſacris perfunctus et diei ac potus festivitate in luxuriam ſolutus. *Ad hunc igitur chori Satyrici originem nunc etiam attendens poëta jocari meminerit gravitate incolumi.* (7) Nam ita riſores et dicaces Satyros acceptos reddere ſpectatoribus conveniet, ita ſeriis ludum admiſcere,

(1) Sic etiam Haberfeld. nexum conſtituit.
(2) Vid. Obſſ. (3) Vid. Obſſ.
(4) Vid. Lambinus.
(5) Sic Engel. nexum conſtituit.
(6) Cum adhuc praemium eſſet hircus, et tantum festis diebus in honorem Bacchi agerentur ludi.
(7) De hac omni re vid. Hurd. et Obſſ. noſtrae.

colorem, non nimis a tragico recedentem, servet. Ceterum in omnibus Satyricae fabulae personis ratio habenda est

Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur Heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo:
Nec sic enitar tragico differe colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret,
Ausus idem. Tantum series juncturaque pollet;
Tantum de medio sumtis accedit honoris.

EXPOSITIO.

ne quicumque Deus aut Heros adhibebitur, (1) regali modo in auro et purpura conspectus, ita mox cum Satyris loquatur, ac si educatus in taberna foret. (2) Non debet etiam ex hujus fuga vitii tragicum tumorem affectare. Quamvis enim comicum sermonem, ut qui ipsam minime deceat, aversetur tragoedia, proprium tamen illum ac solemnem sibi propter Satyrorum rusticitatem ac levitatem aliquantulum hilaritate temperabit, et omnino sic inter Satyros versabitur, ut matrona festo die publicis choris interest, ex ritu quidem ad laetitiam composita, sed semper tamen salvo pudore (3). Numquam ego, Satyrorum scriptor, ita omnem tragicum colorem vitabo, ut nullum dictionis ornatum, nullas poëticas figuras, sed ea tantum, quae in vulgari sermone dominantur usuque quam tritissima sunt (4), adhibeam: ut nihil plane intersit inter Davi sermonem in comoedia, vel (5) eum, quem audax Pythias emuncto sene talentum lucrata, et illum, quem in mea fabula Silenus, Dei Bacchi custos et famulus, edit. Ex noto (6) sermone carmen meum Satyricum effingam, ut quisque idem et se facere posse confidat, sed mox facere aggressus multum frustra sudet, ac laboret. tantum valet callida verborum junctura; tantum ea decoris adjungit etiam de medio sumtis vocabulis.

(1) Vid. Obss. (2) Unde Tabernariae dictae fabulae. vid. Lambin. et Haberf. (3) Vid. Obss.
(4) Sic Lambinus. cf. Obss. nostrae.
(5) Sic in edit Basil. In vulgatis legebatur *an audax*. At vero non Davus Pythiae, sed Silenus et Davo et Pythiae opponitur. Vid. Lambinus.
(6) Vid. Obss.

decori (τοῦ πρέποντος.) In verſibus etiam dramaticis magna adhibenda est

Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne, velut innati triviis, ac pene forenſes,
Aut nimium teneris juvenentur verſibus umquam,
Aut immunda crepent ignominioſaque dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res;
Nec, ſi quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur Iämbus,
Pes citus: unde etiam Trimetris accrescere juſſit
Nomen Iämbeïs, cum ſenos redderet ictus,
Primus ad extremum ſimilis ſibi: non ita pridem,
Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de ſede ſecunda
Cederet aut quarta ſocialiter. Hic et in Acci

E X P O S I T I O.

Ad ipſos Faunos ſive Satyros quod attinet, cavendum, me judice, ne deducti ſilvis ita loquantur, velut innati urbis esſent triviis, aut aſſidue in foro verſati. Numquam illi teneris verſiculis cultioris urbanae juventutis ſermonem exprimant. (1) At numquam etiam obſcena et contumelioſa dicta proferant. His enim offenduntur equites et patricii aliique viri nobiles ac divites; neque enim probant illi, aut laudant, quidquid frictum cicer et nuces ementi plebeculae placet. (2) *Artem igitur ad haec omnia requiri nemo non videt; ſed praeterea verſuum quoque in tragoediis et comoediis fabrica nonnihil artis ac diligentiae postulat.* (3) Syllaba longa praecedente brevi iämbus appellatur, pes eximiae celeritatis; unde etiam factum est, ut verſus Iämbicus (ſenarius), quamvis ſex re vera ictus redderet, vulgo trimeter diceretur. (4) Atque olim quidem hujusmodi trimeter a principio ad finem totus ex iämbis conſtabat. (5) Sed cum metus esſet, ne continua iämborum ſeries taedium audientibus faceret, ac prae nimia celeritate non raro cum tragoediae gravitate quaſi pugnare videretur, idem ille trimeter, ut paullo tardior graviorque ad aures veniret, in primam, tertiam et quintam ſedem lentius iämbo procedentem pedem, ſpondeum admiſit. Ceterum non eo usque facilis et patiens iämbus fuit, ut ſecundam quoque aut quartam ſedem libenter ſpondeo concederet.

(1) Vid. Lambinus.
(2) Quidam *fracti* legunt: Sed vidd. Lambinus et Engel.
(3) Cf. Haberf. et v. 261. et 262. infra.
(4) Vid. Obſſ.
(5) Vid. Obſſ.

diligentia: licet de utroque, numeris ac jocis, male vulgo judicent Romani, stulta proavorum admiratione eadem cum ipsis probantes, de excolenda promovendaque arte parum solliciti.

Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operae celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata judex,
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager, scribamque licenter? Ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros, et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure,

EXPOSITIO.

Scio equidem in celebratis (1) illis Accii trimetris raro iämbum reperiri; scio eundem, etiam ab Ennio neglectum, versus ejus, cum magno pondere (*spondeorum*) in scenam missos, (2) aut operae festinatae nimium et cura carentis, aut artis ignoratae crimine, sane illo turpi, premere. Quid tum? An quia non omnis judex illud numerorum vitium animadvertit, et jam ab Ennii inde temporibus indigna concessa est Romanis poëtis metrum jugulandi venia, ideo sciens prudensque ab artis praeceptis vager et scribam licenter; quamvis (3) omnes peccata mea visuros putem, nihilominus adversus reprehensionem tutus; quippe qui non plus admiserim, quam cujus aliorum exemplo veniam mihi sperare liceat? Minime vero! Nam, utcumque haec metri vitia condonari et ignosci soleant; certe eo pacto reprehensionem tantummodo effugi; non laudem merui. Vos vero, *o Pisones, quibus et melior mens et animus est ad laudem erectior*, exemplaria Graeca studiose legite atque imitamini. (4) Nec eo vos proavorum ducat reverentia, (5) ut, illorum exemplo, vobis etiam laudandos esse Plauti numeros et sales putetis. Illi videlicet utrumque (6) nimis patienter, ne dicam stulte, mirati sunt: si modo ego et vos inficetum dictum ab urbano distinguere scimus, legitimumque metri sonum digitis et aure callemus. (7)

(1) Pro *nobilibus* P. Victorius in Cicer. Epist. 2 Lib. V. mavult *mobilibus*: sed vid. Lambinus et Bentl.

(2) Vid. Obss.

(3) Sic Bentl. exponit suum *ut*, ex duobus codicibus pro *an* receptum. de aliorum expositionibus huj. loci vid. idem vir eximius.

(4) Cic. de Orat. III. 34. *ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla repetenda.*

(5) Dacier. hic Romanos vel Pisones Horatio respondere putat, ut illi recte dixerint: *at nostri proavi*. at vero non legendum esse *nostri*, sed *vestri*, satis docuit Bentlejus. cf. etiam Lambinus et Haberfeld.

(6) Cunigh. legit *utrosque*: sed non necesse videtur.

(7) Vid. Lambinus, et de ipsa re Obss. nostrae.

cum tamen eam, initio rudem, et Graeci olim excoluerint, et veterum

Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis
Qui canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex est accepta; chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poëtae:

E X P O S I T I O.

Sed ferendus suo tempore Plautus fuerit: artem a rudibus initiis ad majorem in dies perfectionem adducere, eique novis inventis novum usque decus addere, quidni posteros deceat? Graecae scenae progressum notemus. (1) Ignotam antea tragoediam primus invenisse Thespis dicitur, plaustro circumvehens (2) (actores), qui (3) peruncto faece vultu poëmata ejus agerent, canerentque. Post hunc Aeschylus larvam, sive personam, et convenientem gravitati tragoediae vestitum, pallam atque cothurnos invenit. Idem pro plaustro pulpita induxit, (4) modicis tignis instrata: stilum quoque tragoediae vehementer excoluit, numeris verbisque et sententiis magnificus. (5) Successit his (6) comoedia vetus, non sine multa laude, sed cujus libertas in injuriosam prolapsa est licentiam, (7) legum auctoritate coërcendam; itaque lege cautum est, ne quis alterum in scenam traduceret: inde chorus, ademta nocendi libertate, nullis amplius illecebris se commendans, turpiter (8) tandem obticuit, *ac novae comoediae locum fecit.* (9) Nostri *adeo* poëtae *antiquitus et inventionis et excultae prolataeque artis laudem etiam ipsi reportarunt:* (10) nihil intentatum reliquerunt:

(1) Similiter fere Engel. nexum constituit.
(2) Vid. Nannius.
(3) Sic Bentlejus pro vulg. *quae.* Cunigh. pro *vexisse poëmata* legit *vectasse per Hellada:* sed vid. Engel.
(4) Vid. Nannius.
(5) Vid. Engel. et Haberfeld.
(6) Excoli prius tragoediam, deinde comoediam coeptam, non hanc prius, illam serius inventam Horat. docet; ut adeo Heinsiana horum versuum transpositione opus non sit. vid Dac. Hurd. Engel.
(7) Vid. Haberfeld.
(8) Haberf. *turpiter*, inquit *obticuit, quia tacendo, cum nocere prohibebatur, satis indicavit, illud solum se spectasse, ut noceret.*
(9) Vid. Dacier. et Engel.
(10) Haberfeldium sequor.

etiam Romanorum nonnulli.

Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis,
Quam linguâ, Latium; si non offenderet unum
Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos ô
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, et multa litura coërcuit, atque
Praesectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium miserâ quià fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit. ô ego laevus,

Nunc vero omnem artem atque diligentiam posthabentes, unice quidam ingenium et, nescio quem, furorem poëticum laudant.

EXPOSITIO.

neque parvum sane decus meruerunt, qui, vestigia deserere Graecorum ausi, Romana sibi tractanda argumenta sumserint, et pro palliatis vel togatas (tabernarias), vel praetextas (1) fabulas docuerint. Et profecto non litteraria minus quam bellica gloria praesigne Romanum nomen foret, nisi unicuique poëtae gravis et longa videretur omnis expoliendi limandique operis mora. (2) Vos vero, o Pisones, quos, originem a Numa Pompilio ducentes, *nihil non egregium decet* (3), carmen repreheudite, quod non multum diuque intensissima cura emendatum atque castigatum fuerit. (4) *Verum artis est opus emendatio.* Bona autem poëtarum pars, artem ipsam rem longe miserrimam esse judicat: ingenio tantum ad poësin opus esse (5); ingenio poetam censeri, etiam Democriti (6) judicio, qui sine furore quemquam praeclarum esse poëtam negabat. Igitur, ut hoc furore se quoque percitos demonstrent, multi ungues et barbam resecare negligunt; in secreta loca secedunt; balnea *populo frequentata* studiose vitant. Quippe is demum poëtae nomen et decus consequetur, qui caput, nulla, quantumvis magna, (7) hellebori (8) copia sanabile, numquam Licino tondendum (9) commiserit. O ego stultus,

(1) In his nobiliores, in illis humiliores inducebantur personae. vid. Lambinus et Sanadon. Plures quidem togatarum species recenset Dacierius: verum allata distinctione satis expedita res videtur. Vid. Vellej. Paterc. II, 92. Voss. Institt. Poët II. 7. 4. cf. Engel et Haberfeld.

(2) Sic Horat. Epist. II. 167.

Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.

Vid. Lambinus, Nannius, Bentlej. et Haberfeld.

(3) Sic etiam Haberfeld. (4) Vid. Obss.

(5) De hac sententia vid. Lambinus, qui similia loca ex aliis scriptoribus collegit. cf. et Vossius de Nat. et consti Poës. 4.

(6) Vid. Nannius.

(7) Sic Lambinus.

(8) Vid. Porphyrio, et conf. Horat. L. II. Sat. 3. 82. et A. Gellius XVII. 15.

(9) Hunc Caesar propter ejus in Pompejum odium Senatorem fecerat. vid. Acron. et infra Cap. III.

Atqui arte et sapientia vel in primis ad poësin opus est.

Ut enim decorum (τὸ πρέπον.) observemus, hoc ipsum, quid et quale sit, intellexisse debemus.

Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata: verum
Nil tanti est. ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo;
Unde parentur opes; quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit patriae quid debeat et quid amicis;
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes;
Quod sit conscripti, quod judicis officium; quae
Partes in bellum missi ducis; ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.

EXPOSITIO.

qui (*fontem furoris*) bilem, ineunte vere, purgando ejicio: (1) quem si retinerem, insaniens optima facerem poëmata. Nempe mihi non est tanti. (2) Itaque fungar vice cotis, quae, cum vim secandi ipsa non habeat, ferrum tamen acuere potest. (3) Docebo alios munus et officium *scribendi*, nihil ipse scribens. Docebo, inquam, unde ad carmina scribenda opes parentur: (4) quid deceat, quid non: quo virtus, quo *diversus a virtute* error (5) deducat. *Ad scribendum cum isti ducem, nescio quam, insaniam sequantur*, (6) ego duces tibi Philosophos (7) commendo, inprimis Socraticos. (8) Hi te sapere docebunt. Sapere autem et principium et perpetuus veluti fons est recte scribendi. Cui plene perspecta animo res fuerit, ultro etiam verba occurrent, quibus eam exprimat. (9) Qui didicit, quid amicis debeat, quo amore et pater et frater et hospes amandi sint, quod sit senatoris, quod judicis, quod belli ducis officium, is profecto etiam in carminibus suis cuique personae convenientia sciet tribuere (10).

(1) Lambinus legit *purgo bilem*: neutrum ego improbare ausim; *purgor* retinui, quoniam Graecismos amat Horatius.

(2) Hujus dicendi formulae multa exempla exhibet Lambinus.

(3) Similiter Isocrates interrogatus *διά τι οὐκ ὢν αὐτὸς ἱκανὸς, ἄλλους ποιεῖ* respondisse fertur *ὅτι καὶ αἱ ἀκόναι αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον τμητικὸν ποιοῦσιν.* Vid. Plutarch. Vit. X. Rhet. 4.

(4) Haec et sqq. ab Horatio in reliqua parte Epistolae exponuntur, ut recte monet Haberfeld. nimirum *unde — poëtam* a v. 309—332. *quid deceat, quid non* a. v. 333—390. *quo virtus* a. v. 391—408. *quo ferat error* a v. 409. ad. fin. (5) Vid. Lambinus. (6) Sic etiam Dacier.

(7) Cf. Cic. in Orat. 21. Orat. part. 40. de Orat. I. 11. 12. 14. vid. et Engel.

(8) Hurd. Engel. Haberfeld. Socraticas chartas commendari observant, quoniam Socratis discipuli quasi dramatice philosophabantur.

(9) Cf. Cic. de Orat III. 31.

(10) *τὰ ἁρμόττοντα* tribuere, *τὸ καθῆκον* et *πρέπον* observare. vid etiam Dacier ad h. l.

Ad hoc vero opus est, doctrina, virtute, prudenti communis vitae observatione, honesta et liberali a teneris institutione: ut,

Respicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini. Si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? poterat dixisse, Triens: Eu!
Rem poteris servare tuam. redit uncia; quid fit?
Semis. An, haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso.

EXPOSITIO.

Ad doctrinam vero etiam hoc accedat, ut, qui vitam moresque humanos imitando exprimere studet, eo semper tamquam in exemplar respiciat, unde vivas voces ducat (1). Interdum speciosa sententiis (2) et mores scite exprimens fabula, quamvis nulla neque gratia aut majestate verborum, neque arte numerorum se commendet, (3) populum magis oblectat meliusque detinet, quam politi maxime et canori versus, rerum et sententiarum inopes. (4) Graeci tam in inveniendo solertes, quam in eloquendo suaves et ornati fuerunt; tam rerum copiam, quam verborum elegantiam habuerunt: (5) sed nullius etiam rei avari fuerunt, nisi laudis. (6) Romani, non tam laudis avari, quam pecuniae, pueros longis rationibus assem in partes minimas diducere docent. Quaedam nobis interrogantibus respondeat (7) Albini filius. Quid restat, si de quincunce detrahitur uncia? Dixerit triens. Euge (inquit magister) servare rem tuam poteris. Sed si jam additur quincunci uncia. quid tum fit? Semis. (8) An (9), immodica ista pecuniae cura cum semel animos, tamquam aerugine quadam, infecerit, carmina speramus conditum iri, digna illa, quae cedro illinantur, aut in arca cupressina ad seram posteritatem serventur (10). *Immo, ut hujusmodi carmina*

(1) Vid. Obsf.
(2) Vid. Obsf.
(3) Sic Lambinus.
(4) Vid. Obsf.
(5) Dacier. pluribus hoc exemplis explicat, docens *ore rotundo* esse Graecum στρογγύλως.
(6) Sanad. legit *propter laudem*, vulgatam lectionem nonnihil habere ambiguitatis putans: sed *avaris* haud dubie dixit Horat. ut *avari agricolae* Virgil. et efficaciter hoc verbo vehementissimum apud Graecos laudis, apud Romanos lucri studium designavit. vid. Haberf. cf. Horat. II. Ep. 1. 103. et 120 sqq.
(7) Bentl. legit *dicas* et *superet*; alii *superest* et *poteris*. mihi vulgata lectio recte explicari posse videtur.
(8) Nimirum *quincunx* quinque, *triens* quatuor, *semis* sex uncias, constituunt.
(9) Sic Bentlej. in vetustissimis codicibus legi testatur. alii *at*, vel *ad*. cf. etiam Haberf.
(10) Vid. Lambinus.

sive prodesse, sive delectare poëtae voluerimus, sive, quod praestat, utrumque simul, nihil non decenter, nihil non egregie tractemus.

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtae;
Aut simul et jucunda, et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies, esto brevis: ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis caussa sint proxima veris;
Ne, quodcumque volet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis;
Celsi praetereunt austera poëmata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.

E X P O S I T I O.

aliquis condat, opus est doctrina, virtute, prudenti communis vitae observatione, honesta liberalique a teneris institutione; quae omnes res POËTAM ALUNT *atque* FORMANT: *tum et sequentia meminisse oportebit.* (1) Poëtae aut prodesse, aut delectare volunt, aut utrumque simul. Utilia ad vitam hominibus praecepta inculcantem brevitas DECET: ut paucis verbis comprehensa facile animi dociles percipiant, facile quoque memoria retineant. Supervacuum omne plenis statim effluit pectoribus. (2) Ad delectandum ficta veris esse similia (3) debent. Nequaquam (4) enim ea fabulae mandare et spectatorum oculis auribusve subjicere (5) DECET, quae nemini non absurda et incredibilia videantur: (6) neu fingat poëta ex alvo Lamiae, quae puerum devorarit, eundem puerum vivum extrahi. (7) Ceterum unice ad delectandum comparata, nihilque utilitatis continentia, merito senioribus displicent: contra voluptatis plane expertia poëmata juvenes cum fastu despicientes (8) praetereunt. Sed qui dulcibus utilia admiscens, simul et delectare lectorem et prodesse ei novit, is profecto omnium suffragiis (9) auctor praestantissimus habetur: ejus liber Sosias (10) (bibliopolas) locupletat, inque extremas mittitur provincias, et auctoris nomen immortalitati commendat.

(1) Horatium hic minus facili cogitationum progressu ad id, *quod deceat*, monendum transire, censet Haberf. nostram tamen expositionem firmare, nexumque inter superiora (v. 330 sqq.) et hunc locum arguere videntur positi infra versus 345 et 346.

(2) Hunc versum, juxta consuetudinem auctoris, antecedentis praecepti veritatem exemplo declarare, ducto hic a vase, ex quo supervacuum omne statim effluat, recte censere videntur Acron, Lambin. Haberf. quamvis eum Horatii esse Bentl. et Sanad. negent.

(3) Cf. Vossius de Nat. et Const. Artis Poët. II. 8. et Institt. Poët. I. 2. 5.

(4) Bentl. pro *nec* in optimis codd. et principibus Edd. legi *ne* testatur; plane ut supra vs. 185. Est etiam *ne* in Editione Locheri.

(5) Sic Lambinus. cf. etiam Dacier. At male Nannius *credi* exponit *fidem haberi*.

(6) Sane si tale quid ob certam rationem aut utilitatem aliquam committeretur, excusari posset. nunc vero magnopere est improbandum, ut pote ἀδύνατον καὶ ἀπίθανον καὶ ἄλογον. vid. Aristoteles cap. 25.

(7) Vid. Obsf.

(8) *Celsi* varie explicant, vel de superbo, vel de sublimi animo, vel ex Graeco κέλης, vel denique ex oppositione curvae senectutis. Unus optime intellexisse Luisinus videtur de iis, qui se non inclinant, ut rem bene perspiciant, sed eam despicientes praetereunt.

(9) Vid. hic inprimis Nannius.

(10) Vid. Lambinus.

Quamvis enim neque poëtici alicujus operis, praesertim longioris, aequam ubique perfectionem,

Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcumque minabitur, arcus.
Verum, ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; ut citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.

EXPOSITIO.

Neque tamen haec eo valeant, ut exactissimam ubique a poëta perfectionem postulandam, nullum ei condonandum vitium putemus. (1) Sunt omnino vitia, quibus facile ignoscamus: nam neque chorda semper sonum edit, quem vult mens et manus, sed gravem poscenti saepe acutum reddit, (2) neque quod minabitur arcus (ferire) semper etiam feriet. Igitur in carmine, splendido ceteroquin ac venusto, paucis ego non offendar maculis, quae aut imprudenti exciderunt, aut a quibus homo natus satis sibi cavere non potuit. Quid ergo mihi volo? (3) paucorum et levium erratorum facile veniam poëtis tribui, multorum atque magnorum non item. Ut scriptor librarius, (4) si idem semper peccatum, quamvis admonitus, committit, excusationem non amplius invenit; ut (5) ridendus citharoedus videtur, qui semper ad eandem chordam offendit: ita poëta qui saepe peccat ac friget, qui saepe idem delinquit, eodem mihi loco est ac Choerilus ille, quem bis terve (6) bonum haud sine risu (διὰ τὸ ἀπροσδόκητον) miror. At idem ego quandocumque dormitantem Homerum video, *illum tam egregium ac fere divinum poëtam etiam humanae imbecillitatis vitio lapsum* indignor. (7) At ferendum, si cui in longo opere (8) somnus obrepat.

(1) Sic Nannius et Haberfeld.
(2) Vid. Obss.
(3) Bentlej. ut hiatum tolleret, e codd. et Locherian. Editione *est* in textum recepit, Latinis scriptoribus tali sensu frequentatum. vid. et Haberfeld.
(4) Vid. Lambinus.
(5) Hanc lectionem restituit Bentl. laudatam etiam a Lambino.
(6) Vid. Obss.
(7) Vid. Lambinus, Dacier. Haberfeld.
(8) Hoc prosa oratio postulabat: *operi longo* poëticum est, recteque eo nomine (non temere, ut perperam asserit Dacier.) Auctoris textui restitutum a Bentlejo, praeëuntibus etiam optimis quibusque Codicibus et Editionibus vetustis, Locheriana, aliisque.

neque in omnibus operibus eandem merito homines requirant; hoc quidem extra controversiam est, mediocribus esse poëtis non licere.

Ut pictura, poësis; erit, quae, si propius stes,
Te capiat magis; et quaedam, si longius abstes;
Haec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
Judicis argutum quae non formidat acumen:
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis; hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi; consultus juris, et actor
Causarum mediocris, abest virtute diserti
Messallae, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non Di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver,
Offendunt; poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis natum inventumque poëma juvandis,
Si paullum summo decessit, vergit ad imum.

E X P O S I T I O.

Porro neque in omnibus operibus eadem perfectio requiritur (1), sed plane, quod in tabulis pictis, idem et in carminibus obtinet; erit alia, (2) quam, quo propius accesseris, eo magis probes, alia, quae non nisi e longinquo visa placeat. Haec obscuriori et remotiori loco ponenda est, *ut latentibus partium vitiis summa tantum operis oculos feriat:* haec plenam ad lucem spectari vult, cujus diligenter elaboratae partes vel accuratissimum examen haudquaquam metuant. Haec facta est, ut semel placeat: haec decies spectata novis semper illecebris te capiet (3).

Ast o major natu juvenum Pisonum, quamvis et patris institutione ad rectum formaris, et ipse per te sapis, hoc tibi dictum fideli memoria retine. Quibusdam in rebus ferri mediocritas potest. Iurisconsultus et causarum actor, quamvis neque peritia juris A. Cascellium (4) neque dicendi arte Messallam aequet, tamen haberi in pretio potest; sed poëtam mediocrem nec Dii, nec homines; ne ipsae quidem librariorum columnae (5) ferunt. Cur? Quoniam in iis rebus omnibus, quae non sunt ad vitam necessariae, sed quibus unice voluptas, et oblectamentum quaeritur, nulla est mediocritatis excusatio. Offendunt nimirum inter gratas epulas discors symphonia, crassum unguentum, amaro (6) melle papaver mixtum, quia vel sine istis coena nec incommode transigi poterat. Sic poëma ad recreationem comparatum animi, si paullum a summo (7) abest, statim haud multo supra infimum censetur.

(1) Haberfeldium sequor.
(2) Sic Lambinus, quem omnes recentiores secuti sunt. cf. Obsf.
(3) Cf. ad totum hunc locum Wieland. et Haberfeld. qui illum etiam exemplis illustrant.
(4) Vid. infra Cap. III.
(5) In quibus affigebantur libri vel tituli eorum. vid Lambinus. Dacier, Baxter et Gesner. de porticibus accipiunt, in quibus poëtae recitabant: verum altera explicatio magis huic loco convenit. vid Haberfeld.
(6) Amarae enim herbae in Sardinia nascuntur. vid. Virg. Ecl. VII. 41.
(7) Sic Acron citavit, Bentlejus edidit, pro vulgari *a summo discessit.*

Et poësin tamen quivis exercet! poësin, maximi rem momenti summaeque

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis;
Indoctusque pilae, discive, trochive quiescit;
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit versus, tamen audet fingere! Quidni?
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices faciesve Minerva;
Id tibi judicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat judicis aures,
Et patris, et nostras; nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer interpresque Deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.
Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.

EXPOSITIO.

Qui exercitiorum in campo Martio imperitus est, iis abstinendum sibi ducit. Qui ludere pila, disco, trocho nescit, nihil horum in manus sumit, ne scaevitatem ejus frequens spectatorum corona impune cachinnis prosequatur. Versus facere qui nescit, tamen audet! Quidni auderet? Liber est, ingenuus, ex censu equitibus ascriptus, et ab omni vacans vitae macula. *Jocis missis*, tu quidem, o Piso, nihil umquam dices aut facies, invita Minerva. (1) Novi enim judicium tuum, novi mentem et prudentiam tuam. Verumtamen, si quid olim scripseris, cave judicio tuo tantopere confidas, ut non etiam Maecii, (2) et patris tui, et meam de illo opere sententiam exquiras. (3) Quin potius novem annos domi in scriniis pressum contineatur, quam ut cito nimis in vulgus prodeat. (4) Delere, quod nondum edideris, licebit; at semel emissa vox reverti nequit. *Quod si forte poësin levis esse rem momenti putes, neque dignam, cui tantum laboris impendatur;* (5) hujus olim ope feros ac silvestres homines sacer Deorum interpres Orpheus a caedibus et foedo victu deterruit, ideo tigres ac rabidos (6) leones mulcere dictus. Hujus etiam ope *cives suos* ad condenda Thebarum moenia (7) Amphion perduxit; ideo saxa dictus sono citharae movere, blandisque carminum precibus, quo vellet, ducere. Fuit haec quondam *poëtarum* sapientia, privatis publica, profanis sacra secernere, vago homines concubitu prohibere, modum connubiis ac jura ponere, oppida condere, leges tabulis inscribere.

(1) Vid. Obss.
(2) De hoc Sp. Maecio Tarpa vid. infra Cap. III.
(3) Sic Lambinus hunc locum exponit.
(4) Sic Bentl. et Haberfeld.
(5) Vid. Haberfeld. et cf. infra vs. 406. sqq.
(6) In Vulgatis editt. legitur *rapidos*: at *rabidos* habent optimi codices. cf. Lambinus.
(7) Quidam libri MSS. veteres habent *urbis*. Certe arcem condidit Cadmus: urbem tamen amplificavit et munivit Amphion. cf. Lambinus.

ad vitam hominum utilitatis; dignam idcirco, quam, favente Minerva, diligenter accurateque tractemus!

Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. Dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est, et gratia Regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer; sudavit et alsit;
Abstinuit venere et vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.
Num satis est dixisse; ego mira poëmata pango;
Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est,
Et, quod non didici, sane nescire fateri?

EXPOSITIO.

Sic divinis vatibus et carminibus honor primum et nomen venit. Deinde, cunctos gloria superans, Homerus, et post eum Tyrtaeus (1) fortium virorum animos ad laudis bellicae studia versibus accenderunt. Reddita quoque versibus oracula, vivendique data sunt praecepta; versibus denique Regum gratiam poëtae meruerunt. Iidem inventores ludorum fuerunt ad recreandos animos post longum laborem. Cum tot igitur sint ac tanta poëtarum beneficia, *cum ad has laudes optimum quemque poëtam* VIRTUS FERAT, non est, ut tibi, *o Piso*, Musica respudori sit (2), *aut studium ei diligentius impendere graveris.* (3) Nam quod in studio parum, in ingenio omnia quidam reponunt, aliis contra plurimum arti, parum ingenio tribuentibus, equidem non video, quid sine felici ingenio studium, quid sine eruditione ingenium valeat: (4) adeo res hae mutuo se juvare debent, amiceque conspirare. (5) Ceterum in omnibus disciplinis studio opus est. Qui nunc in stadio cursus praemium sectatur, multos inde a pueritia labores pertulit, aestum ac frigus toleravit, vino et venere abstinuit. Qui nunc Pythia tibicen cantat, artem prius sub magistro didicit. Num (6) igitur satis est dixisse; ego *ingeniosus homo* mira pango poëmata; ultimum scabies occupet; (7) mihi relinqui (ultimum relinqui, ἀπολείπεσθαι) turpe est, et confiteri sane facere nescire, quod non didici? (8)

(1) Landinus legit *Dircaeum*, ut Pindarus significetur; quod recte improbat Parrhasius. Videantur, quae de *Tyrtaeo* annotat Porphyrion.

(2) *Solers* est, inquit Acron, *qui peritiam habet rerum difficilium.*

(3) Sic Acron et Nannius.

(4) Alii *prosit*: sed Bentlei. secundum nonnullos codices dedit *possit*, cum illud sit minus, humiliusque, quam quod poscit sententia.

(5) Cf. Obss.

(6) Sic Regelsbergerus et Haberf. ex Cod. Helmstad. vulgo *nunc*: Bentl. *nec*.

(7) Porphyrion: *Hoc ex lusu puerorum sustulit: qui ludentes solent dicere: quisquis ad me novissimus venerit, habeat scabiem.* Vid. et Acron.

(8) Cf. Obss.

Sed plerosque, maxime vero divites, poëtas assentatores decipiunt, insane omnia laudantes: cum contra periti judices

Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas;
Assentatores jubet ad lucrum ire poëta,
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum; mirabor, si sciet inter-
Noscere mendacem, verumque beatus amicum.
Tu, seu donaris, seu quid donare voles cui;
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae: clamabit enim, pulcre, bene, recte;
Pallescet; super his etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem: saliet: tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus. Si carmina condes,
Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, corrige sodes
Hoc, ajebat, et hoc. Melius te posse negares:

EXPOSITIO.

Verum ut sic aliquando sibimet ipse poëta imponit, ita saepe ab aliis decipitur. (1) Quemadmodum enim ad praeconis vocem turba omnis, ab eo lucrum facere emendis mercibus jussa, sic assentatores, ut audiendis carminibus lucrum consequantur, ad vocem convolant divitis poëtae. Si vero is est, qui lautum praebere convivium possit, (2) et pro levis fidei (3) paupere spondere, et atris (4) litibus implicitum expedire: mirabor, si iste dives (5) poëta dignoscere verum amicum a mendaci sciet. Tu, *ô Piso!* seu donaris, seu donare quid voles alicui, nolito recentis laetitiae plenum audiendis carminibus tuis admovere. Nam procul dubio *ad quemvis versum* pulcre et bene et recte clamabit. (6) Prae affectu quasi et admiratione pallescet, lacrimabitur, exsiliet, humum pede feriet. Ut, qui in funere, nihil ad se pertinente, conducti mercede plorant, multo et capillos scindunt et clamant magis, quam qui vere et ex animo defunctum lugent, sic *ad carmina audita* vehementiorem multo derisoris, quam sinceri laudatoris motum et quasi affectum videas. Reges (7) quidem multis majoribus poculis urgere, et vino quasi torquere dicuntur, quem, an dignus sit amicitia, perspexisse student. (8) Tu, si versus facies, cave, ne ut olim corvo vulpes, ita subdolus tibi laudator imponat. *Talis potius carminum arbiter atque auditor adhibendus, qualis noster* (9) erat Quintilius Varus, (10) cui, si quid recitares, hoc, ajebat, et hoc, sodes, corrige:

(1) Sic Haberfeld. (2) Cf. Lambinus.

(3) *Levem* Lambinus et Dacier. intelligunt *inconstantem:* at male: cum adjectum *spondere* eum denotet, cui fides non habeatur.

(4) Bentlej. legit *artis*, i. e. *arctis*. At recte monet Haberfeld. *implicitum* hoc significare. Est etiam *atris* magis poëticum.

(5) Sic etiam Lambinus; non, *beatus, quod recte dignoverit.* (6) Vid. Horat. I. Sat. IV. vs. 71.

(7) Vid. Obss. (8) Ante Bentlejum legebatur *laborent.*

(9) Sic fere Haberfeld. (10) De hoc infra. Cap. III.

et veri amici non raro aliquid culpent atque improbent, idque, ut poëtae ipsi consulant, ne forte deceptum semel error in

Bis terque expertum frustra, delere jubebat,
Et male formatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum, quam vertere, malles;
Nullum ultra verbum, aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Transverso calamo signum; ambitiosa recidet
Ornamenta; parum claris lucem dare coget;
Arguet ambigue dictum; mutanda notabit;
Fiet Aristarchus: non dicet; cur ego amicum
Offendam in nugis? hae nugae seria ducent
In mala derisum semel, exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies aut morbus regius urget
Aut fanaticus error, et iracunda Diana;
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam,
Qui sapiunt: agitant pueri incautique sequuntur.

EXPOSITIO.

Bis terque correctionem aggressum frustra, si jam melius posse te negares, omnino delere versus, et male fabricatos (1) incudi reddere jubebat. Si defendere, quam mutare delictum malles, nullum (2) amplius verbum, aut inanem operam insumebat, quin solus te et tua amares sine rivali. Carminum judex bonus ac peritus *sic artem et limam commendabit*, ut languidos versus plane improbet, duros culpet, inconcinnos obelo notet: idem carminis luxuriem recidet: obscura clarius efferre praecipiet: ambigue dicta redarguet: quid mutari velit, ostendet: *denique alter* Aristarchus fiet. Non dicet: cur ego amicum in nugis offendam? scilicet hae nugae (*hic* ERROR) semel ab assentatore derisum (3) et maligna laudatione exceptum poëtam maxime seria in mala ducent; quippe quem, iis tam sinistris laudationibus in vesaniam actum, omnes, qui sapiunt, haud minus quam mala scabie, morbove regio correptum, aut fanaticum aliquem, aut lunaticum, obvium reformidant atque fugiunt. Soli pueri, per aetatis imprudentiam (4), irridendi gratiâ, sectantur.

(1) Vulgo *tornatos*. Bentl. *ter natos*. vid. Obss.

(2) Cunigh. et Sanad. legunt *nil ultra verbi aut operae insumebat inanis*.

(3) Sic Lamb. Haberf. et Zeunius. At Nannius, si *publice* derisus et male exceptus fuerit. Neque aliter cepit Wieland. Utramque explicationem Dacier. exhibet: priorem tamen solam veram esse ait, quia hic Horat. docet, in quaenam mala assentatio illa ducat. Accedit, quod Horat. v. 433. assentatorem *derisorem* vocavit. cf. Haberfeld.

(4) Eodem fere modo Grifolus exponit.

extremam insaniam deducat, cui ille, ut poëticae, indulgens aeque omnibus.

Hic, dum sublimis versus ructatur, et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foveamve; licet, succurrite, longum
Clamet, iö cives: non sit, qui tollere curet.
Si curet quis opem ferre, et demittere funem;
Qui scis, an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? dicam; Siculique poëtae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. Sit jus, liceatque perire poëtis.
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit; nec si retractus erit jam,
Fiet homo, et ponet famosae mortis amorem.

EXPOSITIO.

Hic, dum cogitationum aestu supra nubes (1) abreptus, more suo versus *quasi* ructatur et per devia fatuus oberrat, si, velut auceps merulis intentus, in puteum foveamve decidit, quamvis multum diuque, iö cives, clamet, succurrite, neminem clamando moveat: non sit, qui tollere eum velit! Quod si quis ei subvenire ac tollendi gratia funem demittere velit; (2) qui scis, dicam *ei tam male sedulo*, an huc se de industria dejecerit, atque ita nolit servari? *non credis?* Igitur poëtae Siculi tibi interitum narrabo. Empedocles (3), dum Deus immortalis haberi cupit; frigidus (4) in ardentem Aetnam insiluit. Quid poëtas prohibes interitu? Sit jus ipsis pereundi liberum. Invitum *istum* servando occidisse videberis. (5) Non semel in foveam se projecit, nec, si jam retractus erit, ad sanam ideo mentem redibit, aut famosae mortis amorem ponet. (6).

(1) Dacier. legit *sublimes*, et versus intelligit, quos poëta sublimes putat. Sed *sublimis* multo melius sententiae convenit, sive cum Nannio aliisque exponas *coelum intuens*, sive, ut nos, cum Lambino.

(2) Bentlejus, *si curat quis:* alii *si quis curat.* cf. Haberfeld.

(3) Empedoclem hoc etiam nomine petit Lucianus, in dialog. Mortuor. XX. fabulam tamen putant alii. vid. Diogenes Laërt. in vita. et Strabo VI. 274. Ejus Φυσικὰ egregium poëma dicit Cicero I. de Orat. 50. At Aristot. I. §. 11. φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητὴν eum existimat.

(4) Hoc est *ineptus.* vid. Nannius.

(5) Poëtae ipsi scilicet. cf. Epist. II. 2. v. 26. inprimis autem 138 sqq.

Pol, me occidistis *amici*
Non servastis, *ait: cui sic extorta voluptas*
Et demtus per vim mentis gratissimus error.

(6) Sic Lambinus.

invisus ac ridiculus fiat.

Nec satis apparet, cur versus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus: certe furit, ac velut ursus
Objectos caveae valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

EXPOSITIO.

Nec possumus ejus insaniae mederi, quia non satis apparet, in cujus poenas facinoris versus factitet; (1) utrum in patris minxerit sepulchrum, an bidental violaverit. (2) Hoc certum est, eum furere, ac velut ursum, qui clathros effringere caveae valuit, omnes late in fugam conjicere. Adeo docti indoctique ejus recitandi intemperiem metuunt. Quem enim arripuit, antea non dimittit, quam aut illum legendo occiderit, aut ipse versuum suorum laudibus satiatus fuerit, hirudinis instar, quae, nisi plena sanguinis, cutem non mittet.

(1) Sic Lambinus. Cunigham. legit *dictitet*. At magis huic loco convenire alterum videtur.

(2) Eum, qui contra religionem egit, *incestum* vocat Horat. licet flagitium in affines, vel Vestalem non commiserit. Sic Cic. II. de legg. 10. *incestum*, inquit, *vel aspersione aquae vel dierum numero tollitur*. Cf. tot. loc. et ad eum Davisius. Cf. et Non. Marcell. VI. 74. *Incestus* etiam legebat Acron. elegans tamen conjectura Viri Doctissimi optimeque de me meriti H. Hanae pro *incestus* legentis *incautus*.

CAPUT SECUNDUM,

PLENIOREM INSIGNIUM QUORUNDAM AC DIFFICILIORUM IN EPISTOLA HORATII LOCORUM EXPLICATIONEM HABENS.

V. 14. *Inceptis gravibus, cet.* Haec contra unitatem et ſimplicitatem vitia ſimiliter Aristoteles imperitiae poëtarum, vel nimio ſpectatoribus placendi ſtudio tribuit. Namque Περὶ Ποιητικῆς Cap. X. §. 3. edit. Hermanni, quae prodiit Lipſiae A. 1802. in 8vo. *τῶν*, inquit, *ἁπλῶν μύθων καὶ πράξεων αἱ ἐπεισοδιώδεις εἰσὶ χείριςαι. λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς οὔτ' ἀνάγκη εἶναι. Τοιαῦται δὲ ποιοῦνται ὑπὸ μὲν τῶν φαύλων ποιητῶν δι' αὐτοὺς, ὑπὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν διὰ τοὺς κριτάς· ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες, καὶ παρὰ δύναμιν παρατείνοντες, πολλάκις διαςρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς.* Vid. omnino Hermannus in nott. ad h. l. et Aristot. l. cit. Cap. XVII. §. 8. ſqq. Ceterum in hoc et ſqq. verſibus forte Julium Montanum tangit Horatins, Ovidii ac Tiberii familiarem, qui libenter ortus et occaſus inſerebat: teste Senec. Epist. 122. Vel etiam Furium quemdam Bibaculum, quem ex ingenioſa conjectura, Serm. I. 10. 37. *Alpinum* dici putat Bentlejus, ubi Horatius.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput; haec ego ludo.

Porro de unitate ac ſimplicitate fabulae vid. Aristot. l. cit. Cap. VII. et VIII. ubi in fine *χρὴ οὖν*, inquit, *καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐςιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐςι, μιᾶς τε εἶναι, καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεςάναι τῶν πραγμάτων οὕτω ς, ὥςε μετατιθεμένου τινὸς μέρους, ἢ ἀφαιρουμένου, διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον. ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲ μόριον τοῦ ὅλου ἐςίν.* cf. Voſſ. Inſt. Poët. I. C. 4. §. 3.

V. 24. *Maxima pars vatum. cet.* Recte Lambinus: *haec non eo pertinent, ut aliquid proprie de brevitate praecipiat, ut quidam existimant, neque περὶ λέξεως aut de verborum delectu, ut alii volunt:* et Dacier. ad v. 29. *ce vers prouve, que tout ce qu'il a deja dit n'est que la ſuite du même precepte.* Bene etiam Haberfeld. vers 31. ad praecedentia, non ad ſequentia pertinere monet, quamvis Engel. et Wieland. ita ceperint. ſed idem Haberf. in eo verſu *culpae fugam* minus recte cum Engelio exponit, obſervationem regularum Artis ſine judicio innato, ſine pulcritudinis ſenſu. Nam judicium illud innatum fere ad ingenium pertinet; cum ſit ingenium ex vi vocis illud ipſum, quod innatum ſive ingenitum. Non igitur artem, quae ingenio opponitur, tali ſenſu dixiſſe cenſendus est Horatius; praeſertim, cum apud nullum Latinum ſcriptorem, quoad investigare potui, ſignificationis hujus exemplum exstet. Praeterea totus hic locus unice in ingenii, disciplina et arte non ſubacti, ſed temere ac ſine lege laſcivientis, improbandis foetibus verſatur. Ut brevis ſim, ſumma Horatianae ſententiae huc redit. Quemadmodum is, qui prolixitatis culpam fugit, nimio brevitatis ſtudio obſcurus fit,

quia certum modum, certos fines artis non novit; sic qui tenuis nimium et inamoenae simplicitatis reprehensionem vitat, ac propterea variare opus studet; nisi antea, quae sint verosimilitudinis lineae, quae circa variationem illam artis monita ac praecepta; didicerit; nisi ad illorum normam summo labore ac studio scripta coërceat, ex ipsa praedictae culpae fuga, ex laudabili illo poëma suum variandi studio, mera prodigia procreabit. Nimirum

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Culpam pro *reprehensione* noster etiam infra dixit vers 267.

v. 32. *Aemilium circa ludum Faber. cet.* Omnes ante Bentlejum Editiones *faber imus* exhibent, quod etiam postea retinuerunt Baxter. et Wieland, qui Lambinum secuti fabrum intelligunt, cujus taberna omnium est infima et postrema. Cunigham. conjicit, Horatium scripsisse *fabrûm unus*, cui assentitur Engel. Ego Bentleji secutus sum lectionem, uti nec destitutam auctoritate codd, ita sententiae hujus loci inprimis convenientem. Docet Horatius, nihil ad rem facere, si quis *vel optime* (id autem valet *unus:* v. Bentlej.) singulas operis partes exprimere atque elaborare sciat, cum tamen inde totum aliquod conficere non possit. Ex qua sententia si illud *vel optime* omittas, multum ejus ponderi decedere nemo non sentit. Quin id omnino requiri etiam sqq. docent:

Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

v. 38. *Sumite materiam. cet.* Aristot. VI. 19. οἱ ἐγχειροῦντες ποιεῖν πρότερον δύνανται τῇ λέξῃ καὶ τοῖς ἤθεσιν ἀκριβοῦν, ἢ τὰ πράγματα συνίςασθαι. οἷον καὶ οἱ πρῶτοι ποιηταὶ σχεδὸν ἅπαντες. Unusquisque igitur poëta suas ponderare vires debet, an satis peritia valeat ad hanc vel illam materiam recte tractandam, an totum inde aliquod apte possit componere. Hoc enim inprimis requiritur ἐν τῇ τῶν πραγμάτων συςάσει, quam ipsam τὴν ψυχὴν, τὸ πρῶτον καὶ μέγιςον τῆς τραγῳδίας Aristoteles dixit. loc. cit. atque illud *totum* ὅλον maxime consistit ex partibus ordine convenienti (τάξει) dispositis. Vid. Aristot. Cap. VII. Hinc, cum prius expositâ necessitate totum aliquod ponendi, statim huic monito alterum illud de sumenda conveniente viribus materia subjungat Horatius, hic cogitationum nexus videtur: felices operis summa sunt, qui aptam viribus materiam sumserunt, quia sic ordine eam tractare possunt, et εὖ συνίςασθαι τὰ πράγματα.

v. 44. *Ut jam nunc dicat cet.* Bentlejus, Baxter. Wieland. ita locum interpungendo distinguunt, ut Horatii mens sit, poëtam jam nunc (ex Bentlei. interpretatione *interdum*) debentia dici dicturum, jam nunc (*interdum*) pleraque in praesens dilaturum. Sed Batteux. Engel. Haberfeld. hoc modo interpungentes

Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat.

et *jam nunc* sensu proprio accipientes, ita locum exponunt, ut nos etiam in paraphrasi reddidimus, et jam olim exposuerat Lambinus. Quod ad rem parum interest; dummodo in priori expositione *debentia dici* intelligantur ea, *quae narrari ab historico deberent*, in posteriori,

quae jam nunc dicere poëta debet. Fatendum tamen, si *jam nunc* exponas *interdum*, minus planum esse Horatii praeceptum. Nam quare interdum omnia poëta dicturus est, interdum non omnia? Praeceptum video; rationem non video: quam tamen alias, nisi diserte addere, certe subindicare Horatius solet. Addit Bentlejus: *interdum pleraque, quae debebant dici et ad locum pertinebant, differat in aliud tempus, ne mole scilicet* τῶν περιςάσεων *obruatur lector et narrationis filum amittat.* Igitur, ubi illa moles περιςάσεων non aderit, omnia dicet. At de his omnibus ne verbum quidem apud Horatium. Vereor, ut satis attenderit Bentlejus ad vim vocis *debentia.* cf. Haberf. et Engel. Poëtis, ut non nisi necessaria (*debentia dici*) carmine complectantur, etiam Aristoteles praecipit Cap. VIII. §. 3. Ὅμηρος, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην, ἢ διὰ φύσιν. Ὀδύσσειαν γὰρ ποιῶν, οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη· οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῷ Παρνασσῷ, μανῆναι δὲ προσποιήσασθαι ἐν τῷ ἀγερμῷ· ὧν οὐδὲν θατέρου γενομένου ἀναγκαῖον ἦν ἢ εἰκὸς θάτερον γενέσθαι· ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν, οἵαν λέγομεν, τὴν Ὀδύσσειαν συνέςησεν.

E nostra quidem igitur sententia verba illa *pleraque differat. cet.* separatim sunt sumenda. Regelsbergerus, ne bis idem dixisse poëta videatur, *differat: omittat*; prius verbum explicat *disponat* ac *dividat* in sequentes partes, quo sensu verbum *differre* Noster etiam adhibuit Epod. V. 99. Forte ingeniosius quam verius. Neque, si *in praesens tempus* nobiscum exponas *in suum tempus et idoneum* (quemadmodum jam olim exposuisse Laurentium Vallam Lib. IV. Elegantiarum Glareanus docet ad h. l.) eo recurrere necesse est.

v. 45. *Hoc amet, hoc spernat. cet.* Arist. VIII. §. 3. loco supra citato, Homerum laudat, quod non omnia dicat, quae Ulyssi acciderunt. Hic igitur nonnulla amavit, nonnulla sprevit; neque omnia sigillatim exsecutus est, quae quovis modo in argumentum et narrationem incidebant. Verum, inquit Bentlejus, *quid hoc aliud est, quam delectus rerum? quid aliud, quam quod versu demum* 150 *habetur:*

et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit?

At neque bis idem diceret Noster, neque tam mutus aut verborum pauper erat, ut praecepto hoc de incidentibus tam breviter, leviterque defungeretur. Hisce motus punctum posuit post *omittat:* dein ordine versuum mutato sic scripsit:

In verbis etiam tenuis cautusque serendis
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

Ut delectus adhibendus esse verborum significetur, non rerum. Bentlejum sequuntur Sanadon. Gesner. Wieland. Nos vero, quominus eum sequeremur, praeter veterum Grammaticorum, librorumque MSS. in vulgata lectione tuenda consensum, inprimis etiam hae moverunt causae. Primo, nobis quidem etiam, sicut Lambino Dacierioque et Haberfeldio, poëta cum h. v. 45. tum et infra v. 150. de prudenti rerum agere delectu videbatur: neque tamen ideo, quod Bentlejus statuit, idem bis dicere videbatur. Nimirum in versu 150 laudatur Homerus eo nomine, quod *quae tractata nitescere posse* desperabat, reliquerit. Atqui saepenumero non haec tantum relinquere poëta debet, sed illa etiam, quae, quamvis forte nitescere tractata possent, attamen auctoris proposito minus convenirent, et ut verbo dicam, *ordinem operis* turbarent. De iis igitur agere Nostrum putem in v. 45. Hoc autem praecepto leviter bre-

viterque defungi poëtam ideo minus mirabamur, quoniam ei, qui, potenter, juxta monitum ipſius lectâ, materiâ, prius etiam totum aliquod operis ſecum veluti praeformasſet ac mente conſtituisſet, ambiguum esſe non poterat, quaenam res ex argumento prae ceteris amandae, quaenam contra ſpernendae forent: nam, ut ipſe dixit

cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Sed eadem defenſione Bentlejus eumque ſecuti interpretes uti non posſunt ad brevitatem praecepti de delectu verborum excuſandam, cum in ſequentibus tantum de novorum formatione verborum ſermo ſit. Jam enim merito quis Auctorem roget; Quaenam igitur verba ſpernere, quaenam amare debeo? Cf. Dacier. Deinde, ſi ad nexum attenderis, verba *dicat* et *differat*, niſi cum *promisſi carminis Auctor* conſtruantur, vix habent, unde commode pendeant. Bene etiam Haberfeld. obſervat, ipſum illud *promisſi carminis auctor* longe rectius ad graviorem et praeſtantiorem rem, ordinem ac dispoſitionem operis, quam ad verborum delectum referri; tum et concinniorem orationem esſe, ſi legamus:

In verbis etiam tenuis cautusque ſerendis,
Dixeris egregie. cet.

Quam ſi

In verbis etiam tenuis cautusque ſerendis
Hoc amet, hoc ſpernat promisſi carminis Auctor.
Dixeris egregie.

v. 46. *In verbis. cet.* Post praeceptum de materia conveniente viribus eligenda, quod ſcilicet inde cum facundia, tum ordo lucidus penderet, paucis prius de ordine disputatis, fuſius jam de facundia ſibi disſerendum Auctor ſtatuens, illam duobus abſolvi ſignificat: eleganti verborum cura, fidelique propriorum operi cuique numerorum et colorum obſervatione. De priori parte agit v. 45—72. de posteriori v. 73. et ſeqq. Prior disputatio de verbis eo omnis ſpectat, ut demonſtret, posſe quidem nova verba recte fingi producique, ſi necesſitas postulet; ſine necesſitate recurrendum eo non esſe: maxime, quod uſitatis verbis uti interdum, ut lectisſimis, posſimus,

notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum.

de quorum tamen ſignificatione verborum nonnihil inter viros doctos ambigitur. Pignas exponit, *ſi callida conſtructio reddiderit verbum notum, quod est novum*, hoc est, auctoritatem ei ſive fidem conciliaverit. Lambinus, Dacier. Valckenaer. (in Obsſ. ad Origin. Graecas p. 37. ubi *producere* v. 59. exponit *prolongare*) Horatium de verbis agere putant nove compoſitis, ſive e duarum vocum conjunctione factis, qualia apud Ciceronem de Oratore Lib. III, c. 38. laudantur *expectorat* et *verſutiloquus*: διπλᾶ ὀνόματα vocat Dacierius. Verum Wieland. Hurd. Esſchenburg. Zeunius, Haberfeld. et jam olim Acron et Porphyrion rectius, ut puto,

callidam juncturam interpretantur ſcitam verborum tranſlationem, vel, ut Cicero dixit de Orat. Lib. III. c. 37. *alieno in loco collocationem*, ut ſcilicet ponantur juxta ea, quibuscum plane jungi non poſſe videbantur. Exemplo ſint Horatiana *ſplendide mendax*, et *inſanientis ſapientiae.* Recte quoque docet Porphyrion, poſſe adeo ſordidum verbum hujusmodi compoſitione ſplendeſcere. *Curculio* inquit *ſordida vox est; ornatu accedenti omnis ejus vulgaritas abſconditur:*

populatque ingentem farris acervum
Curculio.

confirmant hanc interpretationem Perſii locus, Sat. V. v. 14.

Verba togae ſequeris junctura *callidus acri.*

et ipſe Horatius infra v. 242.

tantum ſeries juncturaque pollet.

Serendis in v. 46. tam de formatione, quam junctura verborum accipi poteſt. Eſt enim *ſerere* ſaepe idem ac *facere*, *gignere*, *propagare*; et ſic etiam hoc loco interpretati ſunt Acron, Porphyrion, Schol. Cruquii, Lambinus, Dacierius, alii: *cautus ſis in novis verbis faciendis.* Sed ponitur etiam pro *conſerere*, *connectere*; unde *ſertum* pro corona textili, *ſermo* pro oratione connexa, *ſeries et cet:* quam poſteriorem ſignificationem hic quidem unice veram eſſe putat Batteux. ob proxime ſubjunctum verſum 47. Sed videtur Horatius de induſtria tale verbum adhibuiſſe, quod et *connectere*, et *propagare* ſignificaret, cum de utroque in ſqq. dicturus eſſet. Neque enim illud *in verbis tenuis cautusque ſerendis* ad unum modo proxime ſubjunctum v. 47, ſed ad omnem etiam ſequentem diſputationem pertinere videtur. Cf. Haberfeld.

v. 60. *Ut ſylvae foliis. cet.* Magis hoc poëticum eſſe, quam quod Bentlejus conjiciebat, *ut ſylvis folia privos mutantur in annos*, merito obſervat Haberfeld. Itaque vulgatam lectionem retinuit, quod fecerunt etiam Engel. et Wieland. Neque aliter nos faciendum exiſtimavimus. Sed in expoſitione quidem hujus loci, quod ſine invidia dictum ſit, non tam aliorum auctoritatem, quam noſtrum ipſi judicium ſecuti ſumus. Vulgo ſtatuunt, tempus, quo ſylvae foliis mutentur, ab Horatio ſignificari vernum: maxime ob comparationem Homericam, quam h. l. expresſisſe videatur noſter, Iliad Z. 146.

Φύλλα τὰ μὲν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δὲ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει· ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.

Nobis autem, quominus h. l. de vere cogitaremus, primum obſtare videbatur illud *pronos*; quod, ut recte etiam Haberfeld. obſervat, proprie non tam *celeres* quam *occiduos*, *ad lapſum inclinatos* ſignificat: (ſic *pronus rivus* 1 Ep. X. 21. *pronus Orion* III. od XXVII. 18. *prona dies* apud Statium II. Theb. 41.) deinde in v. 61. *prima cadunt*, quod haud dubie rectius de ejusdem anni primis foliis, quam de ſuperioris anni veteribus uſurpaverit poëta. Quid multa? Sub finem aeſtatis (igitur *prono anno*) quercus, fagos, alias arbores novis foliis veluti juveneſcere quotannis videmus. Brevi poſt, *autumni frigore primo*, ut Virg. dixit Aen. VI. 309. vel etiam citius, ea, quae ver produxerat, aeſtus areſecit, cadere ſylvis folia incipiunt. Tum igitur *prima cadunt*; aliis *modo natis florentibus* adhuc et *vigentibus.* Tum

revera *foliorum* in silvis fit *mutatio:* lente autem et gradatim fit, prorsus ut in verborum mutatione.

v. 63. *Sive receptus terra Neptunus. cet.* Portum Julium significari, de quo Virgilius etiam Georg. II. 164. cecinit, vulgaris est interpretum sententia, cui standum putamus: quamvis Heynius quidem, Vir. Cl. ad d. l. Virg. quod ad hunc sensum multa parum apte dicta essent a poëta, inprimis illud, quod *Aquilones* pro quovis vento accipiendi essent; potius ab Horatio portum Alexandrinum indicari censeat: Gesnerus autem ad h. l. ob *Regis* nomen tantopere detestatum Augusto, quod igitur de ipsius operibus poëtam adhibere minus probabile sit; potius Xerxis conatus in monte Atho significari judicet. Etenim Heynium (pace dicam tanti viri) Aquilo pro quovis vento vehementiore positus immerito offendit, si quidem Horat. III. od. XXX. 3. eodem sensu hac voce utatur. Cf. et Serv. ad Virg. Aen. VI. 310. Quae praeterea Virum Cl. rationes moverint, ut portum Alexandrinum potius, quam Julium indicari crederet, haud equidem scio. Mihi tamen *receptus terra Neptunus* rectius de perfosso aggere inter mare Tyrrhenum et lacum Lucrinum, quam de Regis Alexandri operibus ad Pharum usurpari videtur, cum hic potius veterem ibi portum communiverit, quam novum effoderit. *Regis opus* vero nihil aliud significat, quam *Regium opus*. *Qualia*, inquit Acron, *Reges facere solent:* quod, sicut elegantiam, atque urbanitatem hujus loci praeclare explicuit Wieland. Denique de Xerxis etiam conatu ad montem Athon non recte diceretur *mare terra receptum*; non enim portum ibi Xerxes fecit, sed, ne majore uti circuitu deberet, montem a continenti separavit, et sic classem suam transmisit. Vid. Pomponius Mela II. 2. 136. ibique Gronov.

Majores etiam turbas movit, quod in hoc versu *palus*, jam inde a Servii temporibus, ultima correpta legeretur;

Sterilisque diu palus aptaque remis.

Corrigere tentarunt recentiores; Marcilius,

Sterilisque palus, aptataque *remis*.

Bentlejus *palus prius*. Cunigham. *Palus dudum aptaque* vel *palus, agitataque remis*. Gesner. *palus diu aptaque remis*. Haberfeld. antiquam lectionem retinet, quia antiqui codd, et veteres Grammatici ita exhibent, et quia omissa vox *diu* multum sententiae detrahit: denique, quia correpta illa syllaba non adeo aures offendit. Ad primam rationem quod attinet, mirum sane, Servium scribere: *posterior syllaba in* palus NONNUNQUAM *brevis invenitur*, QUIA GENITIVUS EXIT *in dis*. Quod quam vim habeat equidem non video: Servio tamen eam lectionem apud Horatium minime suspectam fuisse, cum illam etiam defendere tentaverit, haud dubie probat. *Diu* melius ad sententiam hujus loci facere, quam *prius*, recte quidem scripsit Haberfeld. quod autem addit *correptam posteriorem in palus non adeo aures offendere*, id, veremur, ut omnium auribus probet: nos certe nonnihil offendebat. Utrum vero Gesneri transpositionem *palus diu*, an potius emendationem Bentleji *palus prius*, in textu sequeremur, aliquamdiu fluctuavimus incerti. Vicit tandem auctoritas Bentleji, cui illa ipsa transpositio quin in mentem venerit, eximia viri sagacitas dubitare nos non sinit. Is tamen emendare, quam transponere maluit, hiatum illum *diu aptaque* minus, ut videtur, ferens: quem hiatum etiam nostris auribus ingratum visum, non est, quod inficias eamus.

v. 86. *Descriptas servare vices. cet.* Recte Lambinus; *qui suas cujusque poëmatis partes et munera ab ipsa natura attributa servare nescit, et, qui ad operum formas, quae sunt variae et multiplices, versus accommodare pro cujusque natura ac dignitate non potest, indignus est nomine poëtae.* Quam interpretationem cum probaret Haberfeld. rejectâ, certe non laudata, altera Lambini expositione *posse* scribentis *et illud* vices *intelligi de cujusque personae officio et munere et decoro*, (de quibus omnibus infra demum agitur v. 93.) vereor, ut satis cogitate scripserit, h. l. significari a poëta, quam Aristoteles διάνοιαν dixit. Ipsum de ea Philosophum audiamus. Cap. VI. §. 7. Ἐπεὶ δὲ (τραγῳδία) πράξεώς ἐϛιν ἡ μίμησις, πράττεται δὲ ὑπὸ τινῶν πραττόντων, οὓς ἀνάγκη ποιούς τινας εἶναι κατά τε τὸ ἦθος καὶ τὴν διάνοιαν, (διὰ γὰρ τούτων καὶ τὰς πράξεις εἶναί φαμεν ποιάς τινας·) πέφυκεν αἴτια δύο τῶν πράξεων εἶναι, διάνοια καὶ ἦθος. καὶ κατὰ ταῦτας καὶ τυγχάνουσι καὶ ἀποτυγχάνουσι πάντες. Paullo post (λέγω γὰρ) τὰ ἤθη, καθ' ἃ ποιούς τινας εἶναί φαμεν τοὺς πράττοντας· διάνοιαν δὲ, ἐν ὅσοις λέγοντες ἀποδεικνύουσί τι, ἢ καὶ ἀποφαίνονται γνώμην. §. 22. Τοῦτο δέ ἐϛι τὸ λέγειν δύνασθαι τὰ ἐνόντα καὶ τὰ ἁρμόττοντα et §. 25. Διάνοια δὲ, ἐν οἷς ἀποδεικνύουσί τι, ὡς ἔϛιν, ἢ ὡς οὐκ ἔϛιν, ἢ καθόλου τι ἀποφαίνονται. Clare ex his διάνοιαν ad ipsas pertinere personas liquet, in quarum oratione serventur τὰ ἐνόντα καὶ ἁρμόττοντα: non autem ad operum i. e. poëmatum colores, sive stilum in tragoedia tragicum, in comoedia comicum servandum. Pergit hic Horatius in exponenda facundiae (λέξεως) altera parte, quam v. 73. tractare instituerat. Sunt autem Aristoteli λέξις et διάνοια res diversae, cum διάνοια explicetur ope λέξεως. Est enim haec ἡ διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνεία. Arist. Cap. VI. §. 26. Quemadmodum vero morata oratio, licet mores apte exprimat, cum ipsis tamen moribus confundi non debet, sic oratio, cui inest διάνοια, quaeque eam praeclare exponit, non est διάνοια ipsa.

v. 95. *Tragicus plerumque dolet Telephus. cet.* Bentlejum, deleta interpunctionis nota post *pedestri* voces *Tragicus* et *Telephus* jungentem, in textu secuti sumus. Et sic sane *tragicus Orestes*, *tragicus Thyestes*, *comicus Davus*, *comici servi*, dicti reperiuntur. Vid. loca a Bentlejo citata. Neque tamen nullius momenti observatio est Hurdii, in veteri lectione pulcriorem esse oppositionem, quam in Bentlejana. Ut, quemadmodum supra de comoedia prius generale praeceptum, dein subjunctum huic exemplum vidimus, etiam hic versu 95. praeceptum, sequente vero exemplum habeamus. Eam antem lectionem si retineas, in fine versus 96. cum Lambino subaudiendum *est*. *Tragicus* autem absolute magis scriptorem, quam quod Dacierius voluit, *actorem* significat. cf. et Obss. ad v. 101. infra.

v. 99. *Non satis est pulcra. cet.* Rationem, cur colores operum aliquando paullulum immutentur, quam supra verbis *iratus*, *pauper*, *exsul*, jam subindicaverat Horatius; hic nunc diligentius exponit. Sita enim haec in διάνοιᾳ. vid. Dacier. et Engel. ad h. l. Scilicet ille praeclarus est poëta,

meum, qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet.

Horat. II. Epist. I. 211. Ἔϛι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα, ὅσα ὑπὸ τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι. μέρη δὲ τούτων τό τε ἀποδεικνῦναι, καὶ τὸ λύειν; καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν· οἷον, ἔλεον, ἢ φόβον, ἢ ὀργὴν, καὶ ὅσα τοιαῦτα· καὶ ἔτι μέγεθος, καὶ σμικρότητα. Verba sunt Arist. Cap. XIX. Cum

igitur unusquisque poëta delectare et movere auditores studeat, eorumque animum, quocumque volet, agere; colores operum aptare debet animi affectibus loquentis, id est hujus διάνοιαν recte exprimere. Est igtur, ut versu 99 *dulcia poëmata* intelligamus cum Lambino et recentioribus interpretibus *ad affectum dulcia*, *moventia*; quam significationem manifesto versus sequens huic voci tribuit, qui, ut Sanad. recte animadvertit, eam egregie explicat. Aristoteles etiam cap. XIX. τί γὰρ ἂν εἴη τοῦ λέγοντος ἔργον, εἰ φανοῖτο (πάθη) ἡδέα, καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον. cf. Dacier. ad h. l. Sic et Horat. II. Od. XIII. 38. *dulcem sonum* dixit. *Pulcra* autem recte explicuit Acron, *quae per oeconomiam composita sunt et probata verba habent*. Arist. VII. 58. τὸ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐςίν. cf. Dacier, et Haberfeld.. qui non immerito verosimile ducit, Bentlejum, ut *pura* legeret, motum fuisse perversis Illis, quas ipse recensuit, explicationibus vocum *pulcra* et *dulcia*.

v. 101. *Humani vultus*. Nannius et Haberfeld exponunt φιλανθρώπους; qui *non duri et rigidi*, *sed mobiles adsunt et flexibili motu*; non hominum adeo, sed ipsius poëtae. Verum Horatium hic spectatorum omnium communem naturam i. e. humanam considerare clare docent sqq.

Si vis me flere; dolendum est
Primum ipsi tibi.

Sumus autem ita natura homines constituti, *ut arrideamus ridentibus et contristet nos turba moerentium*. Vid. Seneca de ira II. 2. Debet igitur personarum, quas poëta induxit, διάνοια pro variis quidem earum temporibus varia, semper autem verosimilis exhiberi: quod inprimis διανοίας ἔργον sit τὰ πάθη παρασκευάζειν. Sed Haberfeldium et alios in errorem induxit locus Aristotelis cap. XVIII. 3, χειμαίνει ὁ χειμαζόμενος, καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα. Nimirum Philosophus, ut recte observavit Dacier, ibi plus tradit, quam h. l. Noster: docet scilicet, poëtam ipsum eorum, quos inducit, quasi induere personas debere, ut eos recte loquentes exhibeat. Unde factum, ut, qui simile praeceptum hic legebant, etiam Horatium de poëta agere existimarent: quamvis loci contextus hanc explicationem non admitteret. de ipsa re cf. Aristot. XIII. 5.

v. 104. *Telephe vel Peleu male si mandata loqueris*. Lambinus hunc locum de *oratione*, *actione et vultu Telephi in scenam prodeuntis* interpretatur: cum tamen actio et vultus sint artis histrionum, quam et Cicero de Orat. I. 5. recte *levem* dixit, et a poëtae partibus plane alienam judicavit Arist. XIX. 8. σχήματα τῆς λέξεώς ἐςιν εἰδέναι τῆς ὑποκριτικῆς, καὶ τοῦ τὴν τοιαύτην ἔχοντος ἀρχιτεκτονικήν. et paulo post: παρὰ γὰρ τὴν τούτων γνῶσιν, ἢ ἄγνοιαν οὐδὲν εἰς τὴν ποιητικὴν ἐπιτίμημα φέρεται, ὅ τι καὶ ἄξιον σπουδῆς. Neque etiam magna poëtae laus esset, si aliena ope ad movendos affectus indigeret. Vid. Arist. d. l. Praeterea cum dicat Horatius, *vultum moestum tristia verba decere*, histrioni certe praeceptum non dedit. Nam sic potius *vultum* esse debere convenientem *verbis* dixisset. Et quo tandem hoc praeceptum, cum apud Romanos, Horatii quidem temporibus, persona obducti erant histrionum vultus? Rectius igitur locum de sola accipias oratione: de mandatis, quae poëta dat personis, quas inducit. vid. Wieland. eamque ob caussam *male* et *mandata* conjungimus cum Sanadono et Haberfeldio; non vero *male* et *loqueris*.

v. 108. *Format enim natura. cet.* Quemadmodum Nannius et Haberfeld. versum 101; sic hunc versum Vossius II. Institt. Poët. XVIII. 7. de poëta accepit. At vero, ni

fallor, vox *enim* indicat, rationem reddi, quare tristia verba vultum moestum deceant: quod scilicet unusquisque homo suos animi affectus (διάνοιαν) exprimere verbis, *interprete lingua*, solet. Est enim animi index sermo. Cum igitur illos animi motus tempora, in quibus personae versantur, excitent, iis etiam temporibus convenire verba debent. cf. Terent. Hecyra III. 3. 20. et, quem Lambinus citat, Homer. Od. Σ. v. 129.

v. 113. *Romani tollent equites peditesque.* Bentlejus pro *peditesque* legit *patresque*; cum quia nemo, nisi Plautus, ita locutus est, tum quia plebem Horatius, ut ineptam et indoctam, saepe contemnit. Verba Plauti a Bentlejo citt. sunt in Poenulo II. 4. 10.

Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem veneris:
Equitem, peditem, libertinum, furem an fugitivum velis.

At vero recte monent Gesner. et Haberfeld. Horatium in re ridicula merito comicam dictionem adamasse. Eam autem absurditatem aliena loquentis a fortuna sua *peditum* etiam quivis ipsius naturae instinctu facile notabat. Plebem, quamvis ineptam, quamvis indoctam, tamen hujusmodi quid effugere non poterat. vid. Haberf.

v. 114. *Intererit multum Divusne. cet.* Hoc, est, multum quoque ad διάνοιαν intererit. Dixerat Horatius de binis facundiae poëticae (λέξεως) partibus a vs. 46—92. Dictionis autem colorem non a natura tantum operis, comica vel tragica, sed a loquentis etiam affectibus (διάνοιᾳ) regi, cum omnes animi motus suum quemdam a natura vultum et sonum et gestum habeant, (cf. Cic. de off. III. 57.) idem fuse exposuit a vs. 93—107. Denique illos animi motus (διάνοιαν) a diversis hominum temporibus, fortuna, conditione, aetate, patria pendere, jam hic a v. 108—118. tradit. Cum vero animi affectus et fortuna longe aliam in uno, quam in altero homine vim habeant, et hujus rei caussa sint diversi hominum mores; mox ad morum observationem inculcandam progredi poëtam videas in vs. 119. Hi enim non minus affectus regunt, quam ipsi affectus sermonem. vid. Badius et Amerbachius ad h. l.

v. 119. *Aut famam sequere. cet.* Arist. Poëtic. Cap. XV. §. 1. sqq. Περὶ δὲ τὰ ἤθη τέτταρά ἐστιν, ὧν δεῖ στοχάζεσθαι. ἓν μὲν καὶ πρῶτον, ὅπως χρηστὰ ᾖ. ἕξει δὲ ἦθος μὲν, ἐὰν, ὥσπερ ἐλέχθη, ποιῇ φανερὰν ὁ λόγος ἢ ἡ πρᾶξις προαίρεσίν τινα· φαῦλον μὲν ἐὰν φαύλην· χρηστὸν δὲ, ἐὰν χρηστήν. ἔστι δὲ ἐν ἑκάστῳ γένει. καὶ γὰρ γυνή ἐστι χρηστή, καὶ δοῦλος. καίτοι γε ἴσως τούτων τὸ μὲν χεῖρον, τὸ δὲ ὅλως φαῦλόν ἐστι. δεύτερον δὲ τὰ ἁρμόττοντα. ἔστι γὰρ ἀνδρεῖον μέν τι ἦθος, ἀλλ᾽ οὐχ ἁρμόττον γυναικὶ τὸ ἀνδρείαν ἢ δεινὴν εἶναι. τρίτον δὲ τὸ ὅμοιον· τοῦτο γὰρ ἕτερον τοῦ χρηστὸν τὸ ἦθος καὶ ἁρμόττον ποιῆσαι, ὥσπερ εἴρηται. τέταρτον δὲ τὸ ὁμαλόν. κἂν γὰρ ἀνώμαλός τις ᾖ ὁ τὴν μίμησιν παρέχων καὶ τοιοῦτος τὸ ἦθος ὑποτεθείς, ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον δεῖ εἶναι. Ex hisce duo certe posteriora expressisse Nostrum in vs. 119. vulgaris est DD. VV. sententia. Vid. G. Fabricius Lib. VI. de Re Poëtica, Vossius Institut. Poët. Lib. I. c. v. §. 8. et 9. Pignas in Poët. Horat. p. 46. Luisinus et Sambucius in comment. ad h. l. e quorum quidem sententia τὸ ὅμοιον ἦθος Aristoteles dixit *famae sive receptae traditioni convenientes mores*: τὸ ὁμαλὸν *morum aequabilitatem*. Verum τὸ ὅμοιον ita non recte explicari putat Herman. ad l. cit. Arist. quod explicatio illa *non solum justo angustior, sed ne ubique quidem vera sit. Et quod in iis fabulis, in quibus fictae tantum personae introducuntur, ne requiri quidem pos-*

sit ὅμοιον ἦθος. *Immo*, inquit, ὅμοιον *vocat Aristoteles, quod dicere poterat etiam* οἷον ἂν γένοιτο. Itaque exponit *probabiles: tales, quales in vita animadvertimus: verisimiles.* Quemadmodum jam olim Harles. in edit. Arist. Poëtic. Lipsiae 1780. *praesenti saeculo perquam similes:* forsitan, quia tali sensu vocem adhibuerat Aristot. Cap. II. §. 1. sqq. βελτίονας ἢ καθ' ἡμᾶς, ἢ χείρονας, ἢ καὶ τοιούτους ἀνάγκη μιμεῖσθαι. ὥσπερ οἱ γραφεῖς, Πολύγνωτος μὲν κρείττους, Παύσων δὲ χείρους, Διονύσιος δὲ ὁμοίους εἴκαζε. Sane dolendum est, Aristotelem in d. Cap. XV. cum τὸ πονηρὸν, καὶ τὸ μὴ ἁρμόττον, καὶ τὸ ἀνώμαλον ἐν ἤθεσιν exemplis declaraverit, nullum etiam τοῦ ἀνομοίου addidisse. Verumtamen in re dubia veterem potius, quam novam hanc interpretationem sequar. Quod enim dicit Hermannus, illud, *ut cum historia congruant, in fictis personis requiri non posse*, non video, quomodo vulgarem expositionem confutet. Etenim περὶ τοῦ χρηστοῦ, qua voce morum honestatem indicari ipse recte putat cum Harlesio in Appendice dict. Edit. II. eodem jure disputares, illud, ut *boni* sint mores, *in malis personis requiri non posse*: cum tamen malorum mores exprimi nonnumquam in Tragoedia debeant. vid. Voss. l. cit. §. 4, 5. et 7. Quod vero ad Hermanni interpretationem attinet, ei merito objicias, Aristotelem Cap. II. in fine scribere κωμῳδίαν μὲν χείρους, τραγῳδίαν δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεσθαι τῶν νῦν: comoediae quidem propositum esse, ut pejores, tragoediae vero ut meliores iis, quos *nunc* videmus, homines repraesentet. Nonne igitur repugnantia sibi ipse traderet dicendo, poëtam tragicum tales facere mores debere, quales illos *in vita animadvertimus?* Immo contrarium praecipit hoc ipso capite §. 11. ἐπεὶ δὲ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν οἰκείαν μορφὴν, ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν. οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥαθύμους, καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα ἢ σκληρότητος δεῖ· οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος. Pro vulgari interpretatione facit etiam locus Procli in Quaest. Poëticis, quo jam usus est Voss. l. c. §. 8. 9. Scribit ille, bifariam aliquid ἀνόμοιον esse. primo quidem, si pictor Achillem exprimat velut Thersitem, deinde si fingat aliquando eum οὐ φυλάττοντα ζωὴν ἀνδρικήν. Ceterum Aristotelis quidem τοῦ ὁμοίου definitionem: τοῦτο γὰρ ἕτερον τοῦ χρηστὸν τὸ ἦθος καὶ ἁρμόττον ποιῆσαι, ὥσπερ εἴρηται. planam ac facilem intellectu nemo dixerit. Nec juvat additum ὥσπερ εἴρηται, ex vulgari versione *sicut antea dictum fuit*, cum nihil in antecedentibus huc faciat. Unde corrigendum etiam Herman. existimavit ἅπερ εἴρηται, ut significetur ἦθος χρηστὸν καὶ ἁρμόττον, de quibus in principio capitis. Sed vel sic jejuna est definitio. Potius illud ὥσπερ εἴρηται servans, aliter vertam, non *ut antea dictum est*, sed *ut traditum est*, a poëtis scilicet et mythographis et historicis; totum autem locum sic constituam: τοῦτο γὰρ ἕτερον τοῦ χρηστὸν τὸ ἦθος καὶ ἁρμόττον ποιῆσαι, οὕτως, ὥσπερ εἴρηται, ποιεῖν. Ut haec verba ipsum illud, quod Horat. nostro loco postulat, innuant; scilicet, mores non tantum honestos et convenientes esse debere, sed etiam tales, quales ab aliis descripti sunt.

Honoratum Achillem Horatius in versu 120 memorat, quia hoc primarium est Iliadis argumentum. Recte Nannius: *tota Homeri Ilias Achillis laudibus servit.* Et hoc etiam Scholiastes voluit dicendo; *Si ergo Achillem, de quo Homerus scripsit, velis scribere, talem debes scribere, qualem Homerus ostendit.* Nec inde sequitur, eum in textu *Homereum* legisse. Jupiter Thetidis precibus inductus Achillem ἔτισεν honoravit. cf. Lambinus et e recentioribus Villoison. ad Apollonii Lexicon Homer. p. 770. et Haberfeld.

v. 131. *Difficile est proprie communia dicere. cet.* *Communia* dicere *proprie* et *privati* juris *publica* facere ex disciplina Jurisconsultorum, uti nos, explicandum censuerunt Acron, Scholiastes Cruquii, Landinus, Luisinus, Grifolus, de Nores, Parrhasius, Cosentinus, Glareanus, Badius, Lambinus, Dacier, Sanadon, Engel, Haberfeld: ut *communia* dixerit Horatius a nemine occupata, cui recte opponantur *propria*: *publicam* vero *materiem* eam, quae jam pridem inter poëtas tractatione facta sit vulgaris. At vero Amerbachius, Pulmannus, Freigius, Pithopoeus, Sambucus Horatium in versu 131. tradere putant, quomodo illud, quod versu 128 difficile esse dixerat, tamen effici possit. Hos vero ipse contextus confutat; si quidem Horatius in versu 128, *communia* dicit, quae versu 125. *inexperta*, versu 126. *personam novam*, versu 130. *ignota indictaque* vocat, et opponit carmini Iliaco: *publicam* autem *materiam* satis ipse explicat sequentibus versibus, in quibus agere eum de materia, quam jam alii ante nos tractaverint, facile quivis animadvertat. cf. Engel. et Haberfeld. Neque minus haec Batteuxii Gesnerique explicationem premunt: difficile esse personam apte fingere, quae habeat naturam *communem* hominum cum *propriis* ipsi attributis. Accedit, quod certe laboriosius quaesita haec interpretatio eam verbis vim tribuat, quam vulgo obtinere non solent; cum contra vetus illa Acronis in vulgari verborum significatione acquiescat. Quomodo enim *publicum* et *commune* inter se differant, utque *communi proprium*, sic *publico* opponi *privatum* e prolatis a Lambino exemplis et accuratiori juris disciplina satis est perspicuum. Vid. Janus a Costa ad Tit. Instit. de Rerum Divisione, qui inter alios et Ovidium citat VI. Metam. 349.

> *Quid prohibetis aquis? usus* communis *aquarum:*
> *Nec solem* proprium *Natura, nec aëra fecit:*

Fatendum tamen, ipsos quoque veteres non semper ad propriam horum verborum vim attendisse. Ovid. l. cit. sic pergit

> *Nec tenues undas: ad* publica *munera veni.*

Similiter §. 2. Instit. de Rer. Div. *commune* dicitur, quod idem eodem § *publicum*, et hinc forsitan factum, ut littora *communia* quibusdam dicta sint, quamvis re vera *publica* essent, (vid. L. 3. D. Ne quid in loco publico) et a Jurisconsultis Ciceronis aequalibus haberentur. Vid. Cic. in Top. 8.

v. 136. *Nec sic incipies. cet.* Praeceptum hoc nullo nexu cum antecedentibus conjunctum esse vulgo quidem interpretes statuunt: ego tamen, re diutius perpensa, postremum eo delatus sum, ut nexum quidem aliquem cum superioribus deprehendisse mihi viderer; sed ejusmodi illum, qualem ab epistolam scribente poëta postulari aequum sit. Dixerat Horatius, difficile esse communia proprie tractare, et propterea potius tractanda esse publica; cum et haec sui juris facere poëta possit: ubi primo non eadem prorsus et eodem modo, ac priores, narret: secundo ex Graecis Latina faciens non fideliter nimis verbum verbo reddat: tertio non serviliter imitetur: quarto jam requirit, ut prudente carminis oeconomia quamvis vulgare argumentum denuo poëta commendare sciat, iis quam maxime vitatis, quae lectori vel auditori taedium crearent. Bellum Trojanum jam ante Homerum erat publica materies: sed vide, ut materiam illam Homerus egregie, scriptor post Homerum Cyclius inepte tractaverit. Non hunc igitur, sed Homerum imiteris. Non sic incipies, ut scriptor Cyclius

olim, sed ut Homerus incepit. Ita non fumum ex fulgore, sed ex fulgore lucem dabis, et omnino libere pedem proferes. Hunc nexum esse versus 136. cum antecedentibus, jam olim, ut videtur, Acron senserat, cujus ad vers. 135. verba sunt: *Pudor vetat nos a majoribus incipere, et in exiguum desinere.* Ceterum Homeri mentione facta temperare sibi poëta non potuit, quin eum in omnibus ut exemplum commendaret. Huc pertinent illa in versu 148. et seqq.

Semper ad eventum festinat et in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit, cet.

Scholia Homeri ad Iliad. A. pr. αὕτη γὰρ ἀρετὴ ποιήσεως, τὸ ἀπὸ τῶν μέσων ἄρξασθαι, πρϊόντα δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν διηγεῖσθαι κατὰ μέρος. et versf. 151. sqq.

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

quo nomine illum etiam Aristoteles laudavit Lib. cit. XXIV. 7. δεδίδαχε δὲ μάλιστα Ὅμηρος καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν, ὡς δεῖ.

v. 146. *Nec reditum Diomedis. cet.* Diomedis a Trojano bello reditum significari Nannius, Lambinus aliique censent: et jam olim Scholiastes Cruquianus, ita scribens ad h. l. *ex obliquo taxatur Antimachus Cyclicus, qui reditum Diomedis principis Graecorum a Troja in Graeciam narrans, eum incipit ab interitu Meleagri patrui.* Sed alius, item antiquus Scholiastes, Porphyrion, quamvis in Antimacho memorando consentiens (quem poëtam et in vsf. 136 et 137. ab Horatio tangi putat Acron.) in ceteris a priori diversus abit: *Antimachus*, inquit, *fuit Cyclicus poëta. Hic aggressus est materiam, quam sic extendit, ut* XXIV *volumina impleverit, antequam septem duces ad Thebas perduceret.* Porphyrionem certe ex parte ducem secutus Haberfeldius, reditum h. l. Diomedis ab Epigonorum ad Thebas bello significari, verosimile judicat. De Antimacho quidem, an umquam, praeter Thebaidem, etiam poëma Epigonos conscripserit, atque eum omnino vel illud ejus opus taxare Noster h. l. voluerit, dubia res videri queat ex erudita disputatione Schellenbergii de vita et scriptis Antimachi p. 20 sqq. iisque, quae ad h. ipsum locum Haberf. disputat. Quod enim tanquam Epigonorum Antimachi principium laudat Scholiast. Aristophanis ad Pacem v. 1270. idem ut Homerici operis initium citat Auctor Homeri et Hesiodi certaminis p. 14. Ed. H. Stephani. Et sane jam Herodoti temporibus ferebantur Ἐπίγονοι, carmen Epicum (vid. Herod. IV. 32.) haud sane contemnendum opus, ut vel e Pausania constat. IX. 9. Sed fuerit praeter hoc etiam Antimachi carmen ejus nominis (quod ne Porphyrion quidem satis expedite prodit) certe et hujus et alterius carminis argumentum potius Epigonorum ad Thebas bellum, quam Epigonorum in patriam ab illo bello reditus fuit: cujus quidem peculiariter a poëtis celebrati nulla, quod sciam, apud veteres mentio exstat. Neque Epigonorum in suam cujusque domum aut patriam redeuntis fata singula poëtarum digna carminibus fuerunt. Clari quidem postea casus Alcmaeonis: sed eximie *reditum Alcmaeonis* celebrari nusquam vidimus. An igitur Diomedis reditum? Possit hic aliquis locum urgere Strabonis X. p. 709. scribere Ephorum tradentis: Ἀλκμαίωνα συστρατεύσαντα μετὰ Διομήδους καὶ τῶν ἄλλων Ἐπιγόνων καὶ

κατορθώσαντα τὸν πρὸς Θηβαίους πόλεμον, συνέλθειν Διομήδει καὶ τιμωρήσασθαι μετ' ἄυτου τούς Οἰνέως ἐχθρούς. παράδοντα δ' ἐκείνῳ τὴν Αἰτώλιαν, αὐτὸν ἐις Ἀκαρνάνιαν παρέλθειν, κ. τ. λ. Posſit inde probabiliter elicere, reditum Diomedis in Aetoliam, unde pater ejus Tydeus exulaverat, illum igitur reditum omnino peculiaris alicujus carminis materiam fuisſe, cujus auctor inepte narrationem ſuam ab interitu orſus esſet Meleagri. Sed longe clarior tamen alter ille Diomedis *νόστος*, quo redux a Troja, cognitis uxoris Aegialeae et adulteri Cometae inſidiis, iterum navem conſcendit et post multos errores in Dauniorum finibus conſedit, quem *νόστον* ſive reditum Diomedis quin celebrandum ſibi vetus aliquis poëta ſumſerit (forte et plures poëtae) dubitare nos non ſinunt plurima veterum auctorum, inprimis Latinorum poëtarum, loca ex illo velut communi fonte derivata. Vid. Heyn. Vir. Cl. in Exc. ad Aen. II. pr. et Aen. VII. v. 640 ſqq. Illum igitur reditum etiam Horatium h. l. ſpectasſe mihi quoque veroſimilius videtur, cum ob ſupra dicta, tum etiam, quod ab hoc certe reditu magis remotus Meleagri interitus, quam a Diomedis in Aetoliam reditu, poëtae illius, ſive is Antimachus, ſive alius fuerit, ſive Graecus, ſive unus ex aequalibus Horatii, ineptum et imprudens conſilium clarius apparere facit.

v. 148. *In medias res. cet.* Lambinus et Batteux. exponunt, ut nos in Paraphraſi fecimus: verum Dacier. *medias* res intelligit *indifferentes*, *μέσα*; recte autem Sanadon obſervat hoc repugnare contextui. Non enim dicit Horatius: celeriter lectorem ducit *per medias* res ad ipſam actionem, ſed *in res medias*, *in ipſam actionem*, ut neglecto ordine historico non a primis ſed a mediis rebus narrationem incipiat; primas autem postea, commodam magis occaſionem nactus, exponat. quod eximium Homeri in Odysſea artificium quomodo aemulatus ſit Virgilius in Aeneïde, nemini non prorſus in litteris hospiti ignotum est. Verſus igitur 148., ut recte obſervat Sanadon, prioribus inſervit explicandis.

v. 154. *Si fautoris eges. cet.* Sic pro vulgari *plauſoris* dedit Bentlejus, qui rusticam inconcinnitatem ſententiae, *plauſoris*, *qui ſedeat usque ad plaudite*, Horatio non imputandam esſe docet, ideoque *fautoris* legit. Sed ſic antiquisſima erit menda. Acron *Plauſoris*, inquit, *et ploſoris*, *nam et plodere veteres et plaudere dicebant*, *ut claudere et cludere.* Haberfeld. in Comment. ad h. l. verſum 155. ejiciendum cenſuerat, quaſi is Horatii non esſet: ipſe tamen postea recte ſuam improbavit opinionem, in additamentis p. 531. et ſqq. Hoc eodem verſu *Cantorem* Bentlejus, ad Terentii Andriae verſum ultimum, Tibicinem expoſuit: *Alius est actor*, inquit, *alius cantor. Actores in hac Andria primarum et ſecundarum partium Ambivius et Atilius erant: tertiarum partium actor, ut pote ignobilis, nusquam memoratur. Cantor autem Flaccus Claudii filius, qui tibiis paribus canebat dextris et ſinistris. Ergo cum Actores omnes ex ſcena exirent, cantoris erat, depoſitis ex ore tibiis, plaudite inſonare.* Sed hoc quamvis ingenioſum commentum, vereor, ut Horatii loco ſatis firmetur. Certe *cantorem* pro *actore* etiam Cicero dixit, oratione pro Sextio, cap. 55. nec non, citatus etiam a Pulmanno ad h. l. Prudentius contra Symmachum Lib. II. 10.

Ut Tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.

neque immerito, cum re vera verſus caneret ad modos muſicos.

v. 156. *Aetatis cujusque notandi ſunt mores. cet.* Aetatum mores etiam Ariſtote-

les perſequitur, Reth. II. cap. 12. 13. 14. Hunc autem in multis Horatius ſecutus eſt; quaedam tamen et adjecit; nonnulla omiſit. Secutus in his videtur. Ariſtoteles cap. 12. οἱ νέοι εἰδέναι πάντα οἴονται, καὶ διϊσχυρίζονται. juvenis Horatio *monitoribus asper* dicitur. Ariſtot. ibidem μᾶλλον αἱροῦνται πράττειν τὰ καλὰ τῶν συμφερόντων. Horatius de juvene *utilium tardus proviſor.* Ariſtot. φιλοχρήματοι ἥκιςά εἰσι διὰ τὸ μήπω ἐνδείας πεπειρᾶσθαι. Horatio *prodigus aeris* juvenis. Ariſtot. καὶ φιλότιμοι μέν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι· ὑπεροχῆς γὰρ ἐπιθυμεῖ ἡ νεότης· — καὶ μεγαλόψυχοί εἰσιν οἱ νέοι· οὔτε γὰρ ὑπὸ τοῦ βίου οὔπω τεταπείνωνται· ἀλλὰ τῶν ἀναγκαίων ἄπειροί εἰσι· καὶ τὸ ἀξιοῦν αὑτὸν μεγάλων, μεγαλοψυχία. Horatius hoc ſenſu juvenem *ſublimem* dixit. Ariſtoteles ibid. οἱ μὲν οὖν νέοι τὰ ἤθη εἰσὶν ἐπιθυμητικοὶ, καὶ οἷοι ποιεῖν, ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσι. εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας· καὶ σφοδρὰ μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται. Horatio juvenis breviter et eleganter dicitur *cupidus et amata relinquere pernix.*

De ſenibus Ariſtoteles c. 13. μικρόψυχοί εἰσιν οἱ γερόντες διὰ τὸ τεταπεινῶσθαι ὑπὸ τοῦ βίου. οὐδενὸς γὰρ μεγάλου, οὐδὲ περιττοῦ, ἀλλὰ τῶν πρὸς τὸν βίον ἐπιθυμοῦσι· καὶ ἀνελεύθεροι· ἓν γάρ τι τῶν ἀναγκαίων ἡ οὐσία· ἅμα δὲ καὶ διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἴσασιν, ὡς χαλεπὸν τὸ κτήσασθαι καὶ ῥᾴδιον τὸ ἀποβαλεῖν· καὶ δειλοί· καὶ πάντα προφοβητικοὶ· ἐναντίως γὰρ διάκεινται τοῖς νέοις· κατεψυγμένοι γάρ εἰσιν· οἱ δὲ θερμοί· ὥςε προωδοπεποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ· καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξις τίς ἐςιν. Horatius v. 169.

Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit, et inventis miſer abſtinet, ac timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque miniſtrat.

Ariſtoteles: κακοήθεις δὲ καὶ οἱ γερόντες εἰσίν. ἔστι δὲ κακοήθεια, τὸ ἐπὶ τὸ χεῖρον ὑπολαμβάνειν ἅπαντα· ἔτι δὲ καχύποπτοί εἰσι διὰ τὴν ἀπιςίαν. Senem *difficilem* dixit poëta. Ariſtoteles ibid. πάντα οἴονται ἐγγὺς εἶναι αὐτοῖς παθεῖν· ὅθεν ὀδυρτικοί εἰσι, καὶ οὐκ εὐτράπελοι, οὐδὲ φιλογέλοιοι. ἐνάντιον γὰρ τὸ ὀδυρτικὸν τῷ φιλογέλωτι. Senem *querulum* vocat Horatius. Ariſtoteles ibid. διατελοῦσι δὲ τὰ γενόμενα λέγοντες, ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται. Est Horatio ſenex *laudator temporis acti.*

De virorum moribus Ariſtoteles in cap. 14. ὅσα μὲν, inquit, διῄρηται ἡ νεότης καὶ τὸ γῆρας τῶν ὠφελίμων, ταῦτα ἄμφω ἔχουσιν· ὅσα δ' ὑπερβάλλουσιν, ἢ ἐλλείπουσι, τούτων τὸ μέτριον καὶ τὸ ἁρμόττον. Magis autem definite Noster.

Converſis ſtudiis aetas animusque virilis
Quaerit opes, et amicitias, inſervit honori:
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.

De puerorum moribus ne verbum quidem apud Ariſtotelem. eos Horatius tractavit vſſ. 158. 159. 160.

Contra multa etiam a philoſopho notata recte poëta omiſit, ut vera ſit obſervatio Haberfeldii ad verſum 172. non anxiam hic imitationem Ariſtotelis eſſe quaerendam, nec, quia dixerit Philoſophus ζῶσιν (οἱ γερόντες) τῇ μνήμῃ μᾶλλον, ἢ τῇ ἐλπίδι· τὸ γὰρ βίου, τὸ μὲν λοιπὸν, ὀλίγον· τὸ δὲ παρεληλυθὸς πολύ. ἔςι δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς τοῦ μέλλοντος· ἡ δὲ μνήμη τῶν παροιχομένων: aut omnino illos dixerit δυσέλπιδας: inde ſequi, veterem lectionem Horatiani verſus 172., qua ſenex dicitur

Spe longus — avidusque futuri.

probam non esse. quod tamen affirmat Bentlejus atque ita corrigit:

Dilator, *spe* lentus, *iners*, pavidusque *futuri*.

probantibus Sanadono et aliis. Accedit, ut bene etiam Haberf. observat, illud, quod *spe lentus* et *pavidus futuri* indicent, jam supra verbis *gelide* et *timide* in versu praecedenti significatum esse. Deinde *spe longus — avidusque futuri*, nihil vetari, quominus expressa censeantur ex alio loco Aristotelis, ubi dicit καί εἰσιν οἱ γέροντες φιλόζωοι· καὶ μάλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, διὰ τὸ τοῦ ἀπόντος εἶναι τὴν ἐπιθυμίαν· καὶ οὗ δὲ ἐνδεεῖς, τούτου μάλιστα ἐπιθυμοῦσι. Certe ex hoc sequitur, senes et longas, sive longinquas, spes inchoare, (id enim *spe longum* esse multis exemplis probat Bentlejus ad h. l. cf. et Lambinus) et avidos futuri esse. hoc, quia, quae non habent, ea maxime cupiunt; praesentia autem negligunt: illud, quoniam ea, quae absunt, nec sperare debent, se assecuturos; tamen sperant quodammodo. Solent enim, quae valde cupiunt homines, semper etiam quodammodo sperare. Cupiunt autem senes, quae non adsunt, et quae forte numquam ipsis contingent; sperant quodammodo ea, quae vel ipsi se sperare non debere sciunt. et hinc etiam senex est *dilator*, quia melius cras fore semper ait. Illum igitur diem crastinum semper venturum sibi promittens recte dicitur *spe longus*; ejusdem ut melioris semper appetens, recte dicitur *avidus futuri*, τοῦ μέλλοντος.

v. 185. *Ne pueros coram populo. cet.* Haberfeld. Eschenburgium secutus *populum* hic interpretatur *chorum*. Wieland. vertit *chorum* et *spectatores:* reliqui omnes *coram spectatoribus* exposuerunt. Sane cum in praecedentibus versibus locutus sit Horatius de iis, quae sibi tradere *spectator* debebat, de iis, quae tollenda ex *oculis*, scilicet *spectatorum:* etiam versu 185. in quo hoc ipsum exemplo declarat, spectatores dixisse *populum* videtur, ut eosdem et supra vocaverat versu 153. Sequitur: *quodcumque ostendis mihi sic*: Tragicus igitur ostendit Horatio, qui se spectatorem quidem fingere poterat, sed non chorum. Utrum denique chorus credat, an respuat incredulus, quid hic ad rem facit? In his autem versibus Horatius docet, quamvis maxima earum rerum, quas ipsi spectamus, vis sit ad animos movendos: tamen saepe utendum esse narratione, cum ob verosimile, tum ob naturam et finem tragoediae. Arist. Poët. XIV. §. 4. οἱ δὲ μὴ τὸ φοβερὸν διὰ τῆς ὄψεως, ἀλλὰ τὸ τερατῶδες μόνον παρασκευάζοντες, οὐδὲν τραγῳδίᾳ κοινωνοῦσιν. οὐ γὰρ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπὸ τραγῳδίας, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν. Ἐπεὶ δὲ τὴν ἀπὸ ἐλέους καὶ φόβου διὰ μιμήσεως δεῖ ἡδονὴν παρασκευάζειν τὸν ποιητὴν, φανερὸν, ὡς τοῦτο ἐν τοῖς πράγμασιν ἐμποιητέον. Ceterum de nuncio vid. Scholia ad Sophoclis Electram, vers. 1404. et cf. inprimis Lambinus ad h. l.

v. 189. *Neve minor neu sit. cet.* Quemadmodum in Paraphrasi indicavimus, etiam hic docere pergit Horatius, qualem ipse et populus fabulam desideret. Ut autem fabula poscatur et spectata reponatur, quinque eam actus habere oportet; non plures neque pauciores. Minime autem *reponi* cum Engelio et Haberfeldio intelligimus eam, quae *facile mente reponi possit*. εὐμνημόνευτον vocat Aristoteles l. c. VII. 10. Nescio enim, an hoc sensu verbum *reponere*, absolute sic scriptum, nusquam inveniatur. Neque etiam idem significant *posci* et *spectata reponi*. Horum enim solemnium in hac re verborum alterum tempore prius, alterum est posterius. Schol. *quae vult reponi spectanda, ut denuo agatur; vult in auctoritatem venire*. Sic etiam Wie-

land. vertit. Significatur igitur fabula, quae antea acta sic placuit, ut populus eam demo *posceret*, et quae poscenti populo data, *reponitur*, *redit iterum atque iterum spectanda theatris*. Eam igitur fabulam, quae ita placeat, quinque actus habere vult Horatius. Neque obstat, quod Cicero ad Quintum Fratrem I. Ep. I. tertium annum, extremam partem et conclusionem muneris, tertio fabularum actui comparet. Vossius II. Institt. Poët. §. 5. *forte* inquit, *id solum voluit Tullius: velut poëtae actus ultimi inprimis habent rationem, sic tu anni tertii; ut tibi annus tertius sit, quasi ultimus actus*. Sanadon. ad h. l. tertium actum omnino difficillimum putat, cum is vel maxime elucescere debeat, ne spectatoris animus refrigescat; eamque ob rem Ciceronem tertium annum imperii fratris cum hoc potissimum comparasse censet. Quinque actus rei naturam postulare Engel. et Haberfeld. pluribus docuerunt. Iidem etiam recte scribunt, Ciceronem cogitasse divisionem Graecorum in Prologum, Episodium et Exodum, de qua videndus Aristoteles cap. XII. et ad eum locum Hermannus.

v. 191. *Nec Deus intersit. cet.* Huc pertinent Aristotelis illa XVIII. 8. *πολλοὶ δὲ πλέξαντες εὖ, λύουσι κακῶς.* et §. 12. *Φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι περὶ τὸν ἀπόπλουν. ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος, ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως καὶ ἀγγελίας. ἅπαντα γὰρ ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾷν.* Cicero de Nat. Deor. I. 20. *Quod, quia, quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis, ut tragici poëtae, cum explicare argumenti exitum non possunt, confugitis ad Deum.*

v. 193. *Actoris partes chorus. cet.* Nos in Paraphrasi maxime Lambinum secuti sumus, qui huc etiam citat Horat. I. Sat. 10. 14.

Et sermone opus est modo tristi, saepe jocoso,
Defendente *vicem modo Rhetoris atque poëtae.*

Et sic jam ante eum locum hunc explicuerant Grifolus et Badius, licet alii veteres interpretes *auctoris* legerent, non *actoris*; et variis modis explicarent. Profecto Lambini interpretationem etiam probare videntur verba Aristotelis cap. XVIII. 21. *Καὶ τὸν χορὸν ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ παρ' Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ παρὰ Σοφοκλεῖ· τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ διδόμενα οὐ μᾶλλον τοῦ μύθου, ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστι· δι' ὃ ἐμβόλιμα ᾄδουσι, πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιούτου· καίτοι τί διαφέρει, ἢ ἐμβόλιμα ᾄδειν, ἢ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττειν, ἢ ἐπεισόδιον ὅλον.* De chori officiis vid. Vosf. II. 6. 5. et Herman. ad Arist. Poët. in comment. de Tragica et Epica Poësi cap. XXX. pag. 279.

Ceterum modo citato Aristotelis loco Nannii et Lambini explicatio: *canere igitur choro inter actum et actum licebit, inter medios actus seu in mediis actibus non licebit:* expresse refutatur. Neque enim magis inter actum et actum canere, quae proposito non conducant et apte haereant, quam in mediis actibus licebit: quo tamen duceret illa interpretatio. Itaque nos Gesnerum, Wielandium, Haberfeldium secuti sumus. Nam licet *medius actus* etiam dici possit *media pars actus*: aeque tamen et *intervallum* inter duos actus *medium* recte sic dicitur: ut etiam ipse Lambinus II. Sat. 3. 10. *medium Ianum* explicat locum inter duos Ianos medium.

v. 212. *Indoctus quid enim saperet. cet.* Hunc et sequentem versum Engel. hinc expellit: ut, qui manifesto cum antecedentibus pugnent. Engel. videlicet, Hurdium secutus, versu 202. et sqq. historiam excultorum sensim apud Romanos scenicorum modorum et musices tradi putabat, quacum opinione certe versus 212. et 213. in concordiam redigi non facile poterant. Sed hoc ipsum opinionem illam suspectam ei facere debuerat, cum contrariam Lambini aliorumque sententiam, non excultae sed depravatae Musices historiam hic tradi, pulcre firment hi versus. Horatius scilicet, expositis prius chori officiis ac munere, choros sui temporis iis non per omnia satisfacere, imo saepe penitus ab iis deflectere significat. Ejus autem rei caussam ponit in nimio, nec prudenti choro accinentis musices, non sobriae jam et castae, sed magis magisque in dies lascivientis, studio. Tibia olim tenuis, simplex, et tantum, ut choro adspiraret, sive ob chorum erat. Horatii contra temporibus, ut tibicinem vel citharistam populus audiret, chorus inducebatur, etiam cum nulla alia inducendi caussa esset. Ibi tum nihil ad argumentum fabulae pertinens (cf. vs. 194.) sed ad lascivientis tibiae citharaeve modos accommodatum, atque ita saepe turgidum et obscurum insonabat canticum. Hoc igitur culpat Horatius; simul autem in v. 204. apparatum scenicum, de quo similem censuram egit etiam Epist. ad August. Lib. II. 1. vers 182. sqq. Haec autem omnia scenae vitia recte ipsis spectatoribus poëta imputat. Cum enim spectator indoctus sola quidem ipsius dramatis pulcritudine detineri non posset, eum, cum apparatu scenico, Deorumque ex machinis interventu (vid. Cicero Lib. I. Fam. 7. Phaedr. V. Fab. VII. 7. 23. 24.) tum etiam grandioris tubae sono, vocumque, et modorum flectionibus detinere ii, qui ludos dabant, conati sunt. Quomodo autem moribus mutatis etiam musices modi mutentur, optime docuit Cicero, Lib. II. de legg. 15. ubi, *Civitatum*, inquit, *hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum servare modum, quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine, corruptelaque depravati, ut quidam putant; aut cum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis etiam huic mutationi locus.* et paulo post de Latinis. *Illa quidem, quae solebant quondam compleri severitate jucunda Livianis et Naevianis modis, nunc, ut eadem exsultent, cervices oculosque pariter cum modorum flectionibus torquent. Graviter olim ista vindicabat vetus illa Graecia, longe providens, quam sensim pernicies illapsa civium animos, malis studiis, malisque doctrinis repente totas civitates everteret: si quidem illa severa Lacedaemon nervos jussit, quod plures, quam septem haberet, in Timothei fidibus demi.* Sed apud Romanos quidem civium moribus a severitate ad luxuriem corruptis etiam modi facti sunt lasciviores, et quasi caput rei scenicae haberi coepta sunt chori cantica et choragium. Quod, ut nemo sapiens probare poterat, ita nec Horatius probavit. Huc faciunt

Indoctus quid enim saperet, liberque laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto.

huc etiam

Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,
Utiliumque sagax rerum et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Quibus significat Auctor etiam poëtas omnino peccasse, qui illam musicae mutationem ipsi secuti essent, eique sua carmina accommodassent: unde factum fuerit, ut et λέξις facundia, sententiaeque chori nimium fierent sublimes, elatae, turgidae, nec jam muneri suo chorus satisfaceret.

v. 220. *Carmine qui tragico. cet.* Non hic, ut Heinsius voluit, historiam secutus Noster primam fabulae Satyricae originem ad Thespin auctorem refert. vid. Dacier. neque adeo de inventore Tragoediae aut Satyrorum hic agit; sed postquam universe de Choro et accinente ei Musica, paullatim ad favorem populi captandum immutatis, disputaverat; ad eundem illum finem, quod

Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator:

etiam chorum Satyricum ab antiquiore quodam Tragico poëta, sive Thespis ille sive alius fuerit, inventum Horatius dicit. Traditur autem haec Satyrica fabula peractae Tragoediae a poëtis fuisse subjecta. cf. Vosf. II. institt. Poët. 19. 2. qua propter *mox induxit* in versu 221. videtur significare *statim post peractam Tragoediam in eandem scenam induxit Satyros*, ita ut hi cum nonnullis ex ipsa anteacta Tragoedia remanentibus personis colloquerentur. Hanc certe expositionem confirmant versus 227. sqq.

Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur Heros,
Regali conspectus in auro nuper *et ostro*
Migret in obscuras humili sermone tabernas.

Docet autem hic Horatius, quomodo Satyri *commendari* debeant. Hi enim, cum inventi essent ad populi favorem captandum, ut huic jam fini satisfacerent, certe illud agere debebant, ut populo variis jocorum illecebris placerent, eique se commendarent; quod, quomodo recte fiat, hic docet Horatius. Acron etiam verbum *commendare* sic explicat, ubi, *omnia*, inquit, *quae dicimus, desideramus placere, ac per hoc commendare videmur auribus auditorum*. Cruquii quoque Scholiastes *insinuare* reddit. Atque haec quidem vocis significatio cum huic loco tam apte conveniat, nescio, cur recentiores interpretes vel simpliciter *introducere* verterint, (vid Dacier. et Haberfeld.) vel de ejus significatione sollicite disputaverint. vid. Batteux. Nam et Cicero docens, qua re potissimum *acceptus* orator *fiat* auditoribus, cupideque ab iis audiatur, *Nulla*, inquit, *re una magis* commendatur *Orator*, *quam verborum splendore et copia*. in Bruto cap 59.

v. 231. *Ut festis matrona. cet.* Varie etiam hunc locum explicuerunt interpretes. Acron, *ut matrona*, inquit, *festis diebus jussa saltare cum quadam verecundia moveri jubetur, ita Satyra paululum erubescere debet usurpata auctoritate.* Hic igitur ita videtur intellexisse, quasi poëta ipsam fabulam Satyricam comparet cum matrona, quae saltare jussa diebus festis, verecundiam tamen et auctoritatem servat; adeoque verecundiam etiam Satyros servare poëta jubeat, admixta jocis ipsorum gravitate sive auctoritate Tragoediae. *Intererit* Acron explicat *miscebitur*. certe mox, *ipsa*, inquit, *tragoedia* (notetur hic *tragoedia*: supra Satyram dixerat) *paululum pudibunda debet esse, quae misceatur Satyris*. Addit tamen, ut

subdubitans: *vel intererit paulum, non paululum pudibunda.* Landinus, cujus expositio totidem verbis exhibetur in edit. Locheri, ita locum interpretatur. *Cum Tragoedia sit indigna effutire leves versus propter suam gravitatem, et tamen sit aspergenda joco, ut otiosos delectet; imitabitur pudicam matronam, cui, cum saltare necesse in diebus festis sit, saltat illa quidem, sed servato pudore. Sic Tragoedia admittat protervitatem id est lasciviam, sed servato pudore.* Eodem fere modo Luisinus: *ut matrona gravitatem in choreis, sic tragoedia in Satyris tueatur.* Grifolus etiam, Parrhasius et plerique Basileensis editionis interpretes, Acronem fere secuti, verba *intererit Satyris* reddunt: *erit inter Satyros, miscebitur Satyris.* At vero Lambinus *intererit paulum* jungens, quod item fieri posse Acron notaverat, *id est*, inquit, *differet aliquantulum a Satyris.* Et eum quidem multi e recentioribus sequuntur. Sed vereor, ut verbum *interesse* tali significatione invenias junctum dativo. Sic enim fere semper est *versari in aliqua re*, vel *cum aliquo misceri*: quare Forcellinus etiam unum hunc locum affert, quo probet, vocem hanc cum dativo significatione differendi in usu fuisse. Ceterum, cum diversitatem Tragoediae et Satyrorum satis adjecta declarent *pudibunda* et *protervis*; haud multum ad sententiam faciet, utrum *intererit* interpreteris *differet*, an vero *miscebitur*. Sed quid est in versu 230. *Tragoedia?* Fluctuat Acron. Primo enim Satyram exponit, deinde ipsam Tragoediam. Proprie Lambinus accipit. Casaubonus vero pro *Satyrica fabula* dici putat, de Satyrica Poësi Lib. I. 3. pag. 119. At, num recte haec dicatur *indigna leves versus effutire*, dubito. cf. Haberfeld. Dacier Atellanas fabulas intelligit, quippe graviores. Sed Atellanarum Oscae personae, non tragicae, neque Satyricae erant. Vid. Voss. Institt. Poëtic. II. 35. et, quae notavit Engel. ad h. v. Haberfeldio *Tragoedia* est *persona Tragica*, qualis fuit Ulysses in Euripidis Cyclope; Atlas, Sisyphus, Ariadne, in laudatis a Porphyrione fabulis Pomponii; Eurystheus in Satyrica fabula sui nominis; qualis describitur etiam ab Horatio, v. 227. sqq. citat autem Haberfeld. versum 93. ubi similiter *Comoedia* est pro persona comica. Forsan hoc modo recte constituatur sententia: Poëta cogitare debet, Satyros, si origo spectetur, re vera accessionem esse Tragoediae, nec inductos fuisse, ut gravitatem ejus plane tollerent, sed ut, gravitate incolumi, jocum admiscerent. Caveat igitur, ne, inductis Satyris, nimium Tragoediae derogetur, aut personarum ejus, nuper cum omni pompa spectatarum, prorsus in humiles tabernas sermo migret, tabernarias referat humilitate dictionis ac sententiarum. Imo vero, Satyris inductis, imitetur jam tragoedia (persona tragica) inter Satyros versans, matronam, quae moveri jussa diebus festis, movetur illa quidem, sed ita, ut pudoris legem servet. Igitur fastum quidem et elatum sermonem, minus illum inter Satyros convenientem (*nubes et inania*) dimittat, leves autem versus, ut se indignos, non admittat. Haec pluribus hic exposuimus, ut ea, quam in Paraphrasi Horatii verbis sententiam tribuimus, confirmaretur. Ad illud autem *moveri* quod attinet, scribit quidem Acron, *matronas in quibusdam sacris v. g. matris Deum, solitas esse saltare*, cui Luisinus assentitur. De Nores festa intelligit privata. Engel. explicat de muliere in publicum prodeunte tantum, non saltante. Sed equidem non video, cur in publicum prodiret *pudibunda*. At vero, inquit, *moveri* non semper saltare significat: deinde *matronas* unquam hoc fecisse, non constat. Putat etiam Haberfeld. hoc difficile esse probatu. Gri-

solus Lacedaemonias mulieres cogitabat. Hoc certum est *moveri* pro *saltare* Nostrum etiam dixisse II. Epist. 2. 125. de mimo

Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur,

et Libro III. Od. VI. 21. de saltatione virginum

Motus doceri gaudet Ionicos.

v. 234. *Non ego inornata ac dominantia nomina. cet.* Non *inornata* solum et *dominantia* nomina sectari in Satyris poëta debet. Quaenam vero haec sint nomina, multum ambigitur. Acron explicat: *quae ornatu carent ac propriam significationem habent, Graece κύρια.* Sic etiam Luisinus: *propria, non translata.* Madiumque citat, qui *communia et vulgaria* interpretatur, eumque non multum a se discrepare dicit. *Nam quod forte*, inquit, *quisquam putaret, rudem atque incompositam prorsus esse debere Satyrorum locutionem, id Horatio non placet.* Sic etiam Grifolus, Parrhasius, Lambinus, Dacier. Gesner. Nec multum ab his diversi, quippe Madium secuti, Sanadon. et Baxterus. At vero Jason de Nores *dominantia* exponit *tumida*, quibus domini plerumque utuntur, ut referantur haec ad illa, quae supra dixit *nubes et inania captet*; *inornata* vero ad *migret in obscuras humili sermone tabernas.* Jasonem sequitur Engel. At Haberfeldius *inornata* fere, ut Acron, accipit, quae non exquisite sint juncta, aut tropice posita, verbo non poëtica: *dominantia* autem, quae vulgarem usum habeant, dominentur in usu quotidiano. Videtur etiam mihi Noster hoc velle, poëtam non inornatum unice et incompositum dicendi modum in Satyris sectari debere, neque tam longe a sermone tragico secedere, ut humili vulgarique semper utatur, sive nobiles Satyros eodem modo loquentes inducat, quo viles utuntur in comoedia personae. cf. Lambinus, qui tamen *dominantia* explicat obscoena. Sed de his demum agitur in versu 247. cf. Haberfeld. Sunt autem in Satyrica fabula partim Tragicae, sive inductae ex Tragoedia personae, partim vere Satyricae, Silenus, ipsique Satyri sive Fauni. De illis supra Noster egit in versu 225. et sequentibus. Quid vero in ipsorum sermone Satyrorum observandum sit, jam hic docet v. 234. sq. idque porro in v. 236. et sqq. exemplis declarat, ut probet, Satyros non uti debere comico sive plebejo, vulgarique sermone. Deinde v. 244. sqq. docebit, eorum neque politum atque urbanum, neque etiam immundum atque obscenum esse sermonem debere.

v. 240. *Ex noto fictum carmen sequar. cet.* Dixerat Horatius, se non inornata solum et dominantia nomina sectaturum in Satyris, neque sic a sermone tragico recessurum, ut plane comicum repraesentaret. Itaque docere ipsum necesse erat, qualem igitur Satyris tributurus sermonem esset. Et hoc jam docere videtur in versu 240. Dicit nimirum; ego, Satyrorum scriptor, omnino noto et vulgari atque dominanti sermone utar, sed serie juncturaque quamvis vulgarium verborum efficiam, ut nova illa et nuper facta videantur, utque de medio sumta vocabula summum apud aequos rerum judices honorem obtineant, exquisita, ornata, habeantur. Recte autem Heinsius suam ipse rejecit opinionem, qua versus 240 sqq. post versum 130 esse rejiciendos statuerat, ut inservirent declarandis iis

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.

Etenim primum ea satis declarantur sequentibus

Publica materies privati juris erit, ſt. cet.

quae, si versibus 240 et sqq. subjiciantur, quomodo inconcinnae repetitionis notam effugiant, equidem non video. cf. Wieland ad h. l. Deinde ibi quidem ubique secunda est persona: *inducis, proferres, moraberis*: hic autem prima in toto hoc loco. *Non ego — amabo: enitar; ex noto fictum carmen sequar.*

v. 253. *Syllaba longa, cet.* Locum hunc, sane difficilem, ita distinxit Bentlejus:

Syllaba longa brevi subjecta vocatur iämbus,
Pes citus: unde etiam Trimetris accrescere jussit
Nomen iämbeis, cum senos redderet ictus
Primus ad extremum similis sibi:

distinctionem igitur post *ictus*, qua voce plerique absolvi sententiam putarant, omnino sustulit; minus probante Haberfeldio, qui punctum adeo posuit post *ictus:* dissentiente etiam Wielandio, qui post *iämbeis* interpunxit, ut *cum senos redderet ictus* novae esset initium sententiae. Attamen erunt forte, quibus Bentlejana distinctio vel ideo probabilior videatur, quia sic expositione vulgari, *iämbi vocati sunt trimetri ob celeritatem* (Vid. Acron, Porphyrion, Lambinus) quod periti rei metricae, cujus et Bentlejus peritissimus fuit, merito in dubium vocent, minus jam indigeamus: cum haec potius poëtae mens sit. Pes trium temporum, in quo longa syllaba brevi subjecta est, iämbus vocatur, qui pes citus est, unde *cum senos redderet ictus primus ad extremum similis sibi*, cum versus esset iämbicus Senarius purus, nimiae ad tragoediam celeritatis, hanc ut temperare poëtae possent, pro senario versu Trimetrum fecerunt, per διποδίαν metientes. Ita demum ausi sunt inserere spondeos. Non multum ab hac diversa est explicatio Landini. *Ordo est*, inquit, *pes citus et velox, commodus et patiens, quasi dicat, idcirco patiens admittere spondeum, quia commodiorem faceret versum*, (parum hoc probabiliter) *recepit stabiles spondeos in jura paterna; unde, id est propter hoc, jussit accrescere nomen iämbeis, quia non trimetri, id est ternarii amplius, sed senarii* (Forte voluit: *quia non senarii amplius, sed Trimetri*) *appellati sunt, ut veniret paullo tardior et gravior ad aures propter admixtos spondeos. Sed pridem non erat, scilicet tardior, quia ipse iämbus similes sibi reddebat sonos.* Itaque e Bentleji distinctione ratio, cur spondeo in iämbicis versibus locus sit, posita est in illa dimensione per διποδίαν, quod nescio an rei metricae peritis viris verum videri possit. Etenim cum primae in versu iämbico syllabae nulla fere ratio sit habenda; aut certe illa ad proxime sequentem ordinem trochaicum, cujusmodi tres sunt in iämbico trimetro, pertineat, non tam in iämbicorum versuum locis imparibus, quod tantum verum est, si per singulos pedes dimetiaris, quam universe in posteriori pede ordinis trochaici cujusque spondeus admittitur. Ratio autem, cur ibi inserere potuerint spondeos, est, quod versus per ordines trochaicos, non per singulos lecti pedes, trimetri quidem tria metra sive tres ordines habebant, quorum singulorum pes posterior spondeus aeque ac trochaeus esse poterat. Ultimum enim temporis in unoquoque ordine spatium breve aut longum esse potest, sive minus exacte definitum est. Et ne forte quis objiciat, hoc tantum verum esse, si nihil amplius in serie sequatur hoc est absoluto versu, cum omnes versus series sint ordinum; Musicos respiciamus, qui ipsi, modos cum

faciunt licet maxime metri terminis inclusi, tamen spatium temporis in fine certorum ordinum, licet hos novi statim ordines sint excepturi, cuique vel producere, vel corripere volenti liberum et indefinitum relinquunt. *Points d'orgue* vocant. Quidni igitur et in versibus tali potestate uti liceat? Est quidem haec magis circumscripta in versibus, si vel a simili, vel dissimili ordine praecedens excipiatur, quam si a nullo alio in eadem serie: est tamen aliqua. Scilicet ultimam cujusque versus syllabam ancipitem sive communem nulli non poëtae habuerunt, ultimam vero cujusque ordinis syllabam pro brevi longam facere soli ausi sunt dramatici poëtae. Neque sine ratione illud. vid. Horat. v. 255. Terentian. Maurus ap. Putsch. p. 2433. cf. porro Bentlejus de metris Terentianis: Herman. de metris Lib. I. 8. 10. 12. Sufficiant enim haec ad indicandum, illam, quam, secundum Bentleji lectionem, Horatii verbis tribuas sententiam, rei naturae minime repugnare. Nam ob iämbi celeritatem, versus iämbicus admisceri postulabat (*jubebat*) spondeos; spondei accedere non poterant nisi pro senario trimeter versus esset factus; ergo quodammodo ob celeritatem iämbi, versus Senarii facti sunt et appellati *Trimetri.* Sed eum doctrinam illam de ordinibus in versu iämbico trochaicis minus perspectam veteres habuerint, vereor, ne propius ad Horatii mentem Acronis explicatio accedat. *Quaeritur cur Trimetri appellentur, cum senos accipiant pedes. Quoniam tanta est brevitas eorum, ut junctura pedes binos accipiant.* Sed certe est *primus ad extremum similis sibi* a principio ad finem sibi similis; non ut Acron voluit: *primus iambus aliquando ad extremum similis erat sibi: nunc autem non.*

v. 260. *In scenam missos. cet.* Marcilius, Bentlejus, eosque secuti Dacier. ac Sanadon. versu 260. novam sententiam incipere et *missus* scribendum existimant: verum, mutata distinctione et hoc versu cum praecedenti juncto, rem mihi satis expedivisse videntur Nannius, Heinsius, et qui simili modo explicuit, Lambinus. cf. porro Engel. et Haberfeld. in Antiq. edit. Locheri etiam *missos* legitur.

v. 270. *At vestri proavi Plautinos. cet.* Hoc judicium de Plauto arctissime cum praecedentibus conjunctum esse videtur, ita quidem ut, cum, mentione facta Satyrorum, neminem quidem honestiorem Romanum inurbanos et obscenos jocos ferre, sed tantum pauces immodulatis versibus offendi dixisset; in utroque peccasse Plautum doceat. Hoc igitur Horatii in reprehendendo Plauto propositum fuisse videtur, ut indicaret, hunc ferendum esse, non laudandum, quoniam nondum satis exculti erant ejus versus atque joci. Cicero, ut semper Romanis suis favebat, ita et Plauti jocos laudat I. de Off. 29. quamvis vix conveniant cum iis, quae ipse Cicero requirit, ut sit jocus liberalis et urbanus. Horatius vero Graecos praefert, utque eos potius, quam nondum expolitos veteres Latinorum poëtas, probent ac sequantur, nominatim quidem hic Pisonibus, simul vero omnibus sui temporis elegantioribus hominibus auctor est. Lambinus autem in versu 294 recte, ut videtur, *praesectum* legit, non *perfectum.* vid. omnino Bentlejus et Haberfeld. cf. etiam A. Gellius XVII. 10.

v. 317. *Respicere exemplar vitae. cet.* Gesner. Jasonem de Nores secutus *exemplar* illud *vitae morumque* Philosophiam exponit moralem; Luisinus et Grifolus eximiam quamdam vitae morumque ideam, quam Platonicis similem nobis informemus. Fateor equidem, absolute si spectetur, *exemplar vitae* rectius dici talem ideam, atque Philosophiam, ad cujus normam vita instituatur, quam ipsam vitam communem, cujus res et mores fabularum scriptor exprimat, quo sensu diligentior observatio sermonis magis scribi posceret *exemplar vitam moresque,* quemadmodum Horat. Epist. Lib. I. 2. 18.

Utile propofuit nobis exemplar Ulixen.

nec non Cic. in Timaeo 2. *Si is, qui aliquod munus efficere molitur*, eam fpeciem, *quae femper est eadem, intuebitur, atque* eam *fibi proponet exemplar*. Solent igitur accuratius fcribentes rem, ad cujus imitationem altera res effingi debeat, per appofitionem voci *exemplar* fubdere, fequente genitivo ejus rei, quae ad alterius imitationem formetur. Verum et nonnumquam minus proprie *exemplar antiquitatis, vitae, religionis* ipfam dicunt *antiquitatem, vitam, religionem*, quam quis imitando exprimat. Plinius Lib. V. Ep. 15. *Cornuto quid melius, quid fanctius, quid in omni genere ad* exemplar antiquitatis *expresfius*. Apud Horatium vero quominus *exemplar vitae* Philofophiam exponamus, vetat fupra jam de illa traditum praeceptum:

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae. cet.

ne bis idem dixisfe Noster videatur. imo *doctum* imitatorem in verfu 318. a Philofophis eruditum dicit. cf. Wieland. et Haberf. eum vero refpicere jubet *exemplar vitae* et *vivas* inde voces ducere; itaque non refpicere jubet Philofophiam, fed communem vitam, quam fabulatum fcriptor vel inprimis imitari ftudeat. Schol. Hermogen. p. 38. de Menandro:

ὦ Μένανδρε καὶ βίε
Πότερος ἄρ ὑμῶν πότερον ἀπεμιμήσατο;

cum autem ex illo exemplari *veras*, vel, ut Bentlejus et Cruquius in omnibus fere fcriptis legi testantur, *vivas* voces, doctum imitatorem ducere poëta jubeat, quomodo vel *verae* vel adeo *vivae* esfent voces illae, quas a perfecta quadam vitae formà five idea, menti ipfius obfervata, non ex vera hominum vita duxisfet? Nam Ariftotelis quidem effatum μίμησίς ἐστιν ἡ Τραγῳδία βελτιόνων, quo abutitur ad h. l. Grifolus, nihil probat, nifi hoc, poëtam ad obfervationem vitae morumque etiam adjungere philofophiam debere, ut quemadmodum boni pictores ἀποδιδόντες τὴν οἰκείαν μορφὴν, ὁμοίους ποιοῦντες καλλίους γράφουσιν, fic et ipfe perfonas fuas, veris quidem fimiles, aliquantò tamen veris pulcriores exhibeat. Hoc ut posfit facere, prius ipfe philofophiam asfumfisfe magistram debet.

Qui didicit patriae quid debeat. cet.

fed profecto veris fimiles perfonas non faciet, qui pro vita communi, potius fictas formas, nefcio quas, et ideas Platonicas refpexerit. cf. Parrhafius et Dacier. ad h. l.

v. 319. *Interdum fpeciofa locis. cet.* Hic tantum praeftantiam rerum et morum in fabulis prae elocutione et ornamentis Hor. indicat. Democriti ille poëta, luxuriante praeditus ingenio, forfitan ex venà divite verba proferet elatiora, verfus numerofos magis et canoros; res autem et mores bene et fecundum veritatem exprimere non poterit. At vero fapiens, et philofophorum inftitutione eruditus poëta, quamvis forte minus elatis atque ornatis verbis, res tamen et fententias proferet egregias, mores eximie repraefentabit. Supra dixerat Horatius

Scribendi recte fapere est et principium et fons.

Hoc jam ut lectori probet: Nonne faepe, inquit, fieri videmus, ut fpeciofa rebus ac fententiis,

mores etiam scite exprimens fabula, qualis, nisi a sapiente homine fieri non potest, ceterum nullo verborum pondere, nulla numerorum arte commendata, populum validius oblectet, meliusque detineat, quam fabula, ornatam quidem dictionem habens, cetera autem non habens? Hinc etiam factum esse docet Haberfeld., ut Romani tamdiu fabulis Ennii, Pacuvii, Plauti, aliorumque veterum poëtarum, qui res a sapientissimis Graecorum poëtis mutuati suo sermone, rudi isto atque incondito, reddiderant, haud exiguum in modum caperentur. Minime autem, quod recte Lambinus observavit, ad doctrinam haec Aristotelis pertinent, qui Cap. VI. 16. μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων, τῇ λέξει et ἤθεσιν praestantiora dicit. Comparat Horatius dictionem cum moribus et rebus a Philosophia desumtis, non mores et dictionem cum constitutione fabulae. Recte etiam Lambinus eorum improbat sententiam, qui, ut Jason de Nores et postea Nannius v. 319. pro *locis* legere malint *jocis*, in quos et Grifolum jam invectum video. Docuit etiam Dacier. *jocis* perturbare sententiam, quia sequitur *fabula nullius veneris*, qua certe *jocis speciosa* non careret.

v. 338. *Ficta voluptatis caussa. cet.* Scribit quidem Auctor Rhetoricorum ad Herennium Lib. I. 8. *fabulam esse, quae neque veras, neque verosimiles contineat res, ut hae, quae tragoediis traditae sunt.* Verum ita loquitur, quia tragoediarum fabulae plerisque spectatoribus verosimiles videri non possunt, et sapientium judicio prorsus sunt absurdae et incredibiles, ut ait Vossius Instit Poët. Lib. I. 2. 13. Qua significatione eum *verosimile* dixisse manifestum est ex sequenti definitione *argumenti*, quod dicit *fictam esse rem, quae tamen fieri potuerit, ut argumenta comoediarum*: nam cum hae res contineant ex communi vita desumtas, nullus umquam spectatorum, quin fieri potuerint, dubitat, cum quotidie similia fieri cernat. Tandem non requirit Horatius, ut haec omnino vera, sed ut proxima sint veris, ut aliquo modo fieri potuerint. Ex Lamiae autem alvo devoratum extrahi puerulum, et nimis absurdum, quam ut fidem inveniret, et praeterea foedum spectaculum erat.

v. 349. *Poscentique gravem. cet.* Haec Engel. intelligit de ipsa chorda non recte tensa; Dacier. etiam de manu non recte arripiente, quae posterior, uti jam olim Jasoni de Nores, ita nobis quoque verior expositio videtur; cum, ut aptior h. l. comparatio fiat, tum ut huic versui versus 356. magis respondeat. Porro *acutum* recte Haberfeld. exponit *severum*, ut respexerit Horatius ad sonos *molles* et *duros*, sicut hodie vocantur, quos cum permutare maximum sit peccatum, facile tamen id admitti potest in cithara similive instrumento musico vel a cogitante et prudente. Praeclare haec expedivit Jason de Nores loco supra cit. *Si*, inquit, *chordam ultra aut citra, quam deceat, pertingat Citharoedus, minime conficiet eum sonum, quem requiret: nam si superius, quam conveniet, chordam tetigerit, graviorem, si inferius, acutiorem sonum remittet.*

v. 357. *Sic mihi, qui multum cessat. cet.* Ut, qui in paucis et incogitans errat, facile veniam invenit poëta: vid Voss. Institt. poëta. Lib. I. cap. 3. §. 3. 4.: sic, qui in multis et saepius propter ignorantiam delinquit, quia bonum a pravo distinguere nescit, non solum venia dignus haud censetur, verum etiam, si forte boni quid praestiterit, risum excitat διὰ τὸ ἀπροσδόκητον, ut Horatio Choerilus excitabat. Versu 358. legendum esse *terve* non *terque* docuit Bentlejus. Hoc enim est *saepius*, quod non ita sententiae convenire videtur. *Terve* etiam Acron legerat: reddit enim: *si unum aut duos versus bene dixerit.* Horatium in judicio de Choerilo memoria lapsum putant: Vossius de Hist. Graecis. IV. 7.

et Simson. in Chronico ad A. M. 3601. Sed Horatium defendit D. Heinsius in ea parte libri de Satyra Horatiana, in qua de Horatii critica agit. p. 167. edit Oper. Hor. Lugd. Batav. A. 1612. in 8vo. Hic autem duos fuisse Choerilos ostendit, quorum alter sub Archelao satis ille probabilis poëta, alter sub Alexandro vixerit, ineptus auctor; cujus mentionem etiam Plutarchus facit in vita Alexandri. cf. porro Haberfeld. ad Epist. Lib. II. 1. 233.

Tandem Horatius picturae (tabulae pictae) exemplo, quod fuse explicat Hurdius, nequaquam in omnibus operibus eamdem perfectionem requiri docet, modo poëta illud efficiat, quod sibi proposuit. In Mimo verba ad summam caveam spectantia, joci turpes et obsceni, parum commode quaesitus exitus (v. Senec de Tranquill. Animi c. XI. Ovid. Trist. II. 497. Cicero pro Coelio c. 27.) ad Terentii fabularum elegantiam, urbanitatem, scitam oeconomiam, exigi non debent. In versibus ad alicujus hominis vel rei tempus accommodatis profecto satis haberi debet, eo si tempore placuerint: et sic porro. cf. Haberfeld. ad h. l.

v. 385. *Tu nihil invita dices. cet.* Ex Cicerone de Off. I. 31. *invitam Minervam* recentiores intellexerunt *adversantem et repugnantem naturam.* Verum quod ibi Cicero sic reddidit, non probat, semper *Minervam* pro ingenio et natura sumi; imo contrarium apparet ex Horat. Lib. II. Sat. 2. 3.

Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva.

ipsoque Cicerone de Amicitia 5. *Negabunt, id, nisi sapienti, posse concedi. Agamus igitur* pingui Minervà, *ut ajunt.* Acron et Badius hoc loco *ipsam sapientiam* significari putant. Grifolus *nihil*, inquit, *de vi naturae, nihil de ingenio nunc agitur, nisi quod ipsum per se parum valet et indiget artis auxilio, sine qua poëta bonus esse nemo potest: quare Minerva hic pro arte et industria posita est.* Harum etiam inventricem et praesidem esse deinde probat. et paulo post, *cum*, inquit, *ingenium debile sit, quod non adjuvetur arte et alatur industria, conatur Horatius ad studia et laborem poëtas Romanos incitare.* Sic etiam de Nores. Lambinus, postquam verba Ciceronis ex Lib. de Off. citaverat; *Sed hujus*, inquit, *loci haec sententia est. Non dubito equidem, quin tu nihil sis dicturus aut facturus invita Minerva, id est, ego te quidem scio omnia apte, decore, venuste, docte, sapienter dicturum ac facturum, novi enim judicium tuum, novi mentem et prudentiam tuam. cet.* et certe dixerat Horatius: Ludere qui *nescit*: est autem *nescire* ignorantiae, non virium defectus: neque *indoctum pilae* eum vocaverit, qui pilam tollere aut mittere non poterat prae pondere, sed qui recte mittere propter artis ignorantiam.

v. 411. *Altera poscit opem res. cet.* Naturam cum doctrina conjungendam esse praeclare etiam docet Plato in Phaedro edit. Bipont. Tom. X. pag. 369. τὸ μὲν δύνασθαι, ὦ Φαῖδρε, ὥστε ἀγωνιστὴν τέλεον γενέσθαι, εἰκὸς, ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον ἔχειν, ὥσπερ τἆλλα. εἰ μέντοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσῃ ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσῃ.

v. 416. *Num satis est dixisse. cet.* *Num* pro *nunc* in Vet. Cod. inventum a Regelsbergero, sicut antea Haberfeld. in textum recipiendum etiam nos censuimus. Vulgatum quidem *nunc* haud injuria a Bentlejo improbatum, quod nulla hic temporum, sed studiorum duntaxat oppositio fit, unde ipse *nec* legebat, tuiti sunt Dacier. et Engel, qui verba illa *nunc satis est dixisse* inepto illi poëtae tribuunt, ut hic Horatio respondens dicat, quid ego artem faciendorum versuum addiscerem? *Nunc* (hoc tempore, hodie) satis est dixisse. cet. Sed sic

filum orationis abrumpitur; cujus prima continetur pars a versu 412—415. quibus probat Horatius in ceteris omnibus artibus opus esse studio ac labore; altera autem pars initium facere debet a versu 416, quo concludat Horatius, igitur etiam ad poësin iis opus esse. At Dacierium et Engelium si sequaris, haec quidem pars posterior tota desiderabitur. Nexum praeclare vidit Bentlejus: *in nulla*, inquit, *arte sine labore et studio nomen nancisceris: nemo aut cursu aut cantu palmam sibi spondere audet sine legitima exercitatione.* NEC *in poësi satis est dixisse* cf. Lib. II. Epist. I. v. 114. Sed, ut recte animadvertit Haberfeld. *num* et vehementius stringit, quam *nec*, et magis etiam est poëticum. Facile autem in *nunc* et *non* mutari potuit.

Quae in v. 418. leguntur, Jason de Nores aliique item homini illi tam stulte loquenti verba tribuunt, quasi diceret: ego faterer, me nescire hanc solam ob caussam, quia non didici! Nannius hoc quoque, sicut antecedens, *occupet extremum scabies*, a pueris desumtum putat, cum etiam pueri hac ambitione plerumque laborent, ut, quae ignorant, simulent se scire, ne non videatur ingenium omnibus modis instructum. At sic illud *sane*, (quod equidem cum *fateri* non cum *nescire* jungam) mirifice friget. eleganter autem inservit ironiae, si cum Wielandio et Haberfeldio in versu 418, verba esse dicas ab interpellante Horatio orationi inepti illius poëtae, per figuram Comicis, Aristophani inprimis (vid. in Ranis v. 1239 sqq.) familiarem, contra mentem ipsius loquentis subjecta.

v. 434. Wieland. hic credidit respici, ad nobile illud convivium, quo L. Calp. Piso praef. Urbis ab Augusto, uti et postea a Tiberio, vino fuit tentatus. Vid Senec. Ep. 83. At Horatius certe *Regum* nomine Augustum non denotasset. vid. quae notant interpretes ad v. 65. hujus Epist. Itaque vel in universum principes hic dicuntur *Reges*, vel alii quidam quam Augustus indicantur. Sanadon. *Reges* hic cogitabat *Persicos*. Bene fortasse: sed qua tandem auctoritate?

v. 441. *Et male formatos. cet.* Probant hoc Guiet. Menage, Coste, Cunigham. Sanadon. Engel. Videntur etiam veteres commentatores et Sidonius Apollinaris ita legisse. cf. Bentlejus ad h. l. p. 704. Vulgatum vero *tornatos*, quamvis jam Lambino minus probatum, retinuerunt Dacier. Baxter. Gesner. Wieland. et Haberfeld. quorum hic plane, ut olim Landinus metaphorice, nulla ratione habita ejus, quod vox proprie significet, sed prorsus ac si *rotundos* vel *politos* Horatius dixisset, accipiendum putat, quod tamen ob illud adjectum *male* et totam loci sententiam minus verum puto. Possunt omnino male politi versus expoliri, sed eos quidem, de quibus hic agitur, *delere* Quinctilius jubebat. malim dicere *tornatos* idem esse ac formatos, factos, fabricatos, nec argutandum ex propria vocis significatione, cum Horatius etiam Lib. I. Od. XXVII. v. 19. dixerit:

Quanta laboras in Charybdi:
Digne puer meliore flamma!

Certe potius poëtam ita paullo negligentius scripsisse, quam cum Bentlejo legendum esse *ter natos* putem, quod ne ipsum quidem, ut recte observat Cunigham. in Animadvers. Cap. XII. in f. Quinctiliani praecepto Inst. Orat. VIII. 6. *ut in quo genere coeperis translationis, in eodem desinas*, omnibus numeris satisfacit, cum re vera *nati* (ex ingenio versus) non magis reddi incudi possint, quam *tornati*. Sed quidni *formatos* probemus, cum ob caussas supra dictas, tum quia minimum difficultatis habet? quod enim *male formatum est*, illud *incudi redditur*, ut formam penitus amittat, denuo efformetur. cf. Cunigham. et Engel. ad h. l.

CAPUT TERTIUM,

CONJECTURAM ADFERENS DE TEMPORE, QUO; AC DE IIS, AD QUOS SCRIPTA HAEC EPISTOLA.

Recte Masſonus in vita Q. Horatii Flacci, chronologico ordine digesta, ad A. U. C. 730. *Probabile est*, inquit, *Quinctilium Virgilio defletum* (vid. Horat. Carm. Lib. I. Od. XXIX) *eundem esſe, ac quem noster memorat, de A. P. v.* 439.

Quinctilio ſi quid recitares: corrige ſodes
Hoc, ajebat, et hoc; melius te posſe negares,
Bis terque expertum frustra delere jubebat.

Ubi haud obſcure indicat, eum jam mortuum fuisſe, cum noster hanc concinnaret artem, quae proinde ad ſequentia tempora pertinet, quamquam verus nos fugiat annus. Masſoni conjecturam; Quinctilium Virgilii amicum eundem esſe, ac quem noster memorat in citt. verſſ. egregie firmat Acron ad h. l. ubi, *Hic*, inquit, *Quinctilius erat Varus, poëta Cremonenſis, amicus Virgilii.* Iisdem fere verbis Porphyrion. Quod autem Horatius ait *recitares, ajebat, jubebat*, profecto memorari hominem indicat, eo tempore, quo haec ſcriberet, jam mortuum. Scripta igitur haec Epistola post mortem Quinctilii; neque tamen diu post eam; quod primum ex ipſa Vari mentione colligas. Cur enim ipſum potius mortuum, quam quos Sermon. I. Sat. X. v. 81. ſqq. candidos poëmatum judices, quemque hac Epistola v. 386. laudat, Maecium, vivos cum maxime, d. l. Noster memorasſet, niſi recens adhuc excellentium ejus virtutum memoria gratam inprimis mentionem illam ut Horatio, ſic lectoribus ejus fecisſet? Porro cum Quinctilii mors, teste Hieronymo in Chronico ad Olympiad. CLXXXIX, in annum inciderit U. C. 730. non diu post illum annum ſcriptum opus de Arte Poëtica memoratus ibi in v. 387. Maecius evincit, de quo Porphyrion: *Maecius perdiligens carminum fuit aestimator.* Schol. Cruquii: *Spurius Metius Tarpa iis temporibus criticus ſummus fuit, doctus et ſincerus auditor carminum aestimatorque:* idem igitur, cujus etiam meminit Horatius I. Sat. X. 38.

Quae nec in aede ſonent certantia judice Tarpa.

Ubi idem Cruquii Schol. *Metius Tarpa fuit judex criticus, auditor asſiduus poëmatum et poëtarum in aede Apollinis ſive Muſarum, quo convenire poëtae ſolebant ſuaque poëmata recitare, quae niſi a Tarpa, aut alio critico, qui numero erant quinque, probarentur, in ſcenam non deferebantur.* Non diverſus igitur hic Maecius ab eo, quem Cicero memorat Epp. ad Div. VII. 1. *Reliquas vero partes diei tu conſumebas his delectationibus, quas tibi ipſe ad arbitrium tuum compararas; nobis autem erant ea perpetienda, quae ſcilicet Sp. Maecius probavisſet.* Illum enim carminum judicem primum Pompejus, ut videtur, conſtituerat. car-

pente ibi Cicerone ludos Pompeji, Consulis II. A. U. C. 699. vid. Manut. ad Ciceron. et Lambin. ad h. l. Eundem a Cicerone d. l. et Horatio A. P. vs. 387. memorari agnoscit etiam Bentlejus ad d. vers. Addit tamen: *Quod si ita est, oportet, ut Maecius hic non verus et vivus, sed figurate quivis alius legitimus et peritus judex accipiatur. Quippe scripta est Epistola illa Ciceronis quadraginta prius annis, quam Ars haec Poëtica.* Sane si Maecium, ludos celebrante Pompejo, annos minimum quinque et triginta natum fuisse, neque enim is juniorem facile virum carminum judicem constituisset, Artem Poëticam vero A. U. C. 739. ab Horatio scriptam statuamus; dicto versu *Maecium* potius figurate quemvis alium legitimum ac peritum carminum judicem (qua ratione patroni, *Maecenates*; periti navium gubernatores, *Palinuri* appellantur) quam verum vivumque Maecium significari, facile Bentlejo largiamur. Nam anno U. C. 739. si vel maxime superstes adhuc fuerit Maecius, certe tamen senem eum decrepitum fuisse annorum inita ratio declarat. Atqui de tali sene nunquam Horat. dixisset: *Si quid tamen* olim (post longum aliquod temporis intervallum)

Scripseris: in Maeci *descendat* judicis *aures.*

Verum durius certe noster in eadem phrasi *in Maeci judicis aures* figurate: *et patris et nostras* non figurate dixerit. Deinde orta ex annorum ratione difficultas statim minuitur, si opus hoc de A. P. prius, quam Bentlejus putabat, paulo post mortem Quinctilii, sive A. U. C. 730 scriptum statuas. Potuit enim senex nondum septuagenarius omnino ut peritus carminum judex commendari. cf. et laud. supra I. Sat. X. vs. 38.

Denique concinnatum hoc opus haud ita multo post A. U. C. 730., certe aliquot annis ante A. U. C. 739 probat in A. P. versu 55. Virgilii ut cum maxime vivi et florentis mentio. Illum enim et Varium, ut praestantissimos sui temporis poëtas antiquioris saeculi scriptoribus Plauto atque Caecilio opponit.

Quid autem
Caecilio Plautoque *dabit Romanus ademtum*
Virgilio Varioque? *Ego cur adquirere pauca. cet.*

Atqui mortuus est Virgilius A. U. C. 735. vid. Hieronym. in Chron. ad Olymp. CXC. Sequitur inde scriptum esse opus de Arte Poëtica sicuti post mortem Quinctilii, quae A. U. C. 730. incidit, ita ante A. U. C. 735. vel certe ante mortem Virgilii, quam in ejus anni diem X. Kal. Octobris incidisse auctor est Donatus in vita Virgilii.

Verum quo compositi tempus operis etiam accuratius definiamus, porro inquirendum in eos, quibus illud Horatius inscripsit. Hi in versibus 6. et 235. vocantur *Pisones*, in versu 292. *Pompilius sanguis*, ubi Schol. Cruquii: *ab ipso enim*, inquit, *Numa Pompilio originem trahebant: Calpus enim filius Numae, a quo Calpurnii Pisones*, cf. Acron et Porphyrion. Porro versus 24. et 366. *patrem* ac *duo filios* indicant, quorum certe major studium jam factitandorum versuum promeret. Quaerendum igitur, quinam eo tempore (ab A. 730—735) ex Calpurnia gente Romae fuerint Pisones, in quos, familiares Horatii, illa etiam quadrent omnia, quae de Pisonibus in hoc opere Noster prodidit.

In censum igitur veniant:

I. Cn. Calpurnius Piso, Cos. suffectus Murenae, collega Augusto XI. A. U. C. 731. vid. Dio Cass. LIII. 30. Est de hoc Pisone classicus locus Taciti Annal. II. c. 43. ubi delatam ejus filio Syriam provinciam narrat. „ Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum, „ per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum „ ejus, pacta erat: praefeceratque Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, in- „ sita ferocia a patre *Pisone, qui, civili bello, resurgentes in Africa partes acerrimo mi-* „ *nisterio adversus Caesarem juvit:* (vid. Hirt. de bello Afric. 4. 18.) *mox Brutum et* „ *Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur, de-* „ *latum ab Augusto consulatum accipere.*"

II. L. Calpurnius Piso L. F. L. N., de quo Tacitus VI. Ann. 10. *Per idem tempus*, inquit (A. U. C. 785.) *L. Piso Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit; nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei Censorium fuisse memoravi:* (fuit is L. Calp. Piso L. F. Caesaris Dictatoris socer, Censor ipse A. U. C. 704. vid. Lips. ad Tacit.) *aetas ad octogesimum annum processit: decus triumphale in Thracia meruerat:* (vid. Vellej. Paterc. II. 98. Seneca Ep. LXXXIII. Florus IV. 12. 17.) *sed praecipua ex eo gloria, quod Praefectus urbis recens continuam potestatem, et insolentia parendi graviorem, mire temperavit.* Consul fuerat cum Druso A. U. C. 739. vid. Dio Cass. LV. c. 21. Apud Tacit. l. cit. etiam *Pontifex* appellatur; quod Muretus, Lipsius, Ernestius, alii, errorem ex notis esse credunt, scribendumque P. V. *praefectus Urbis.* Verum et *L. Calpurnius Piso Pontifex*, aequalis Tiberii, memoratur in inscr. fratr. Arval. apud Muratorium, p. 584. et, quod magis me movet, alius fuit, iisdem temporibus, *L. Calpurnius Piso Augur*, Cos. A. U. C. 753. vid. Gruter. in Corp. inscript. p. CVII. n. 1. et 2. et p. CLXVI. n. 3. ubi diserte scriptum est *Cosso Cornelio Lentulo, L. Pisone Augure Cosf.* Duo Q. Q. Scaevolas, claros Cicerone juvene juris civilis scientia viros, eodem modo a se invicem distinctos, cum alter *Pontifex* alter *Augur* diceretur, satis omnibus nota res est. Similiter cum duo essent Augusti aetate Cnei Lentuli, quorum hic A. U. C. 736. consulatum gessit, ille A. U. C. 740. alter ex his, distinguendi caussa, *Cn. Lentulus Augur* appellatus est. vid. Seneca de Benef. II. c. 26.

III. Cn. Calpurnius Piso, Cnei supra primo loco memorati Filius, celebratus ille inimicitia Germanici, quem et veneno sustulisse creditus ideoque apud senatum reus mortem sibi ipse conscivit A. U. C. 773. senex jam, ut patet ex ipsius codicillis, quos, ad Tiberium Imp. datos, recitat Tacitus III. Annal. c. 16. Horum enim in fine scriptum: *Per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium Consulatus quondam D. Augusto, parenti tuo, probatus, et tibi amicus, nec quidquam posthaec rogaturus, salutem infelicis filii rogo.* Patet igitur, obsequium eum praestare Augusto coepisse anno jam U. C. 728. Ipse Imp. Tiberius apud Tacit. III. 12. eum *patris sui legatum atque amicum fuisse* testatur. Legatum Augusto in Hispania fuisse Lipsius collegit ex sqq. ubi accusatores illi, inter vetera crimina, *ambitiose avareque habitam Hispaniam* objecisse dicuntur, d. l.; c. 13. Forte Augustum secutus in Cantabricam expeditionem A. U. C. 729. cujus comes etiam Tiberius fuit (vid.

Dio Casf. LIII. 26) postea notae fibi provinciae praefectus est. Videtur tamen cum Augusto ex Hifpania rediisfe A. U. C. 730. (vid. Vellej. Paterc. II. 90.) ut in urbe fuerit A. U. C. 731. Cosf. patre ipfius et Augusto XI. cumque illo anno factum esse fcribat Dio LIII. 33. ut Aedili cuidam Plebis mortuo fufficeretur jam ante Curuli Aedilitate functus, C. quidam Calpurnius, forte non injuria fufpicetur aliquis, hunc ipfum fignificari Cn. Calpurnium, Cn. filium, Pifonem, quod nullus hoc tempore alias, quam apud Dionem dicto loco, C. Calpurnius memoretur, facile autem errore librariorum Γναῖος. in Γαΐος mutari potuerit; cujus adeo erroris etiam Libro LV. c. 8. exemplum exftat. certe Cof. postea Cn. non C. Calpurnius Pifo fuit cum Tiberio A. U. C. 747. vid. Dio Casfius l. cit. collato Tacito. Quod vero ex codicillorum verbis: *Per collegium Confulatus, quondam D. Augusto parenti tuo probatus, et tibi amicus:* Lipfius et Ernestius colligunt, etiam Augusti collegam in confulatu Cn. Calp. Pifonem, Cn. filium, fuisfe, illud vereor ut ex iis verbis posfit effici; imo contrarium verum videtur ex eo, quod Imp. Tiberius apud Tacit. III. 12. ubi Cn. Pifonis dignitatem extollere ftudet, eum *legatum* quidem atque *amicum* patris fui, non vero *collegam* in confulatu fuisfe dicit. Hoc tamen factum A. U. C. 731. Lipfius et Ernestius asferunt. Atqui illo anno Conful hujus Cn. Pifonis pater fuit, ut diferte fcribit ipfe Lipfius ad Tacit. II. 43. Neque collegam Augusti ipfum fuisfe clare fatis ipfa haec Taciti verba III. 16. *Per quinque et quadraginta annorum obfequium, per collegium confulatus quondam D. Augusto parenti tuo probatus et tibi amicus*, indicare mihi videntur, quorum hanc potius mentem esfe dixerim: ego probatus amicus, uti D. Augusto parenti tuo, fic et tibi, per quinque et quadraginta annorum obfequium: quod fcilicet novem et triginta annos Imp. Augustum, te privatum aut heredem imperii defignatum; fex vero annos te Imperatorem, quam officiosisfime colui: probatus etiam utrique amicus per collegium Confulatus, A. U. C. 747. tecum gesti: quod fcilicet Imp. Augustus me potisfimum delegit, quem collegam tibi daret; tu vero me prae ceteris gratum acceptumque collegam habuisti. Quod fi quis *per quinque et quadraginta annorum obfequium, per collegium confulatus — rogo* obteftantis esfe dicat, deinde post *confulatus* comma ponat, eo minus etiam Augusti et Pifonis filii quoddam confulatus collegium, repugnantibus fastis, comminifci necesfe erit, cum prius etiam *per quinque et quadraginta annorum obfequium* ad folum referri Tiberium posfit, cui obfequium Pifo per 45. annos primum privato, deinde imperanti, praestiterat. Ego tamen priorem potius interpretandi viam fequar. Verum quidem est apud Dionem Casf. Libro LV. in praemisfo Cosf. indice ad dict. Ann. 747. e quibusdam legi Msf. Γν. Καλπούρνιος Γν. υἱ. Πείσων. τὸ β. Sed, fi vel maxime τὸ β. fervandum fit, cum illud alii Dionis codices omittant, probantibus Pagio, in apparatu chronol. ad Baron. Annal. §. 129. pag. 31. et Pighio in Annal. ad A. U. C. 746. efficitur quidem ea nota, alterum hunc (ex ejus nimirum, qui qualemcumque iftum indicem confecit, opinione) Cn. Pifonis Cn. Filii confulatum fuisfe, non autem in priore illum, certe non A. U. C. 731. collegam Augustum habuisfe. Porro videndus de hoc Pifone Tacitus II. c. 43. fqq.

IV. L. CALPURNIUS PISO CN. FILIUS AUGUR, fuperioris Cnei frater, ejusque apud fenatum rei patronus. vid. Tacit. III. 11. Conful cum Cosfo Cornelio Lentulo fuit A. U. C. 753. vid. index Cosf. ap. Dion. Casfium Lib. LV. et Croterus in Corp. infcr. II. fupra

citt. Est hic L. Piso orator, quem Tiberio restitisse narrat Tacitus II. Ann. 34. unde invisus ei tandemque majestatis reus receptus A. U. C. 777. non peractus est ob mortem opportunam. vid. idem Tacit. IV. 21.

V. L. CALPURNIUS PISO Cn. Pisonis consulis A. U. C. 747. et Plancinae filius. vid. Dio Cass. LIX, 20. Habuerat is praenomen patris, sed, damnato illo, M. Cotta Cos. censente, praenomen coactus est mutare. vid. Tacit. Ann. III. 17. ibique Lips. et Pighius ad Ann. 779. Consulatum gessit cum M. Licinio Crasso A. U. C. 780. vid. Tacit. Ann. IV. 62.

VI. M. CALPURNIUS PISO, superioris frater, patris in reatu socius. vid. Tacit. III. 16.

VII. L. CALPURNIUS PISO, quem praetorem caesum in Hispania A. U. C. 778. auctor est Tacitus IV. 45. Cujus hic filius fuerit, incertum est. Probabilius tamen, Auguris, quam Pontificis filium fuisse. Etenim L. Pisonis, Praefecti Urbis, tanta apud Augustum ac deinde Tiberium auctoritas fuit, (vid. Vellej. Paterc. II. 98.) ut hujus certe filiis, (si quos habuit: nulli autem diserte memorantur) promptior esse debuerit ad honores aditus. Sunt enim a Pontificis Consulatu ad caesum in Hispania Praetorem L. Pisonem, anni fere quadraginta.

Ex hisce Pisonibus, quos ut familiariter noverit Horatius, partim aequales suos, partim seniore se pueros, ratio quidem temporum aliquomodo sinit, etsi de tribus, posteriore loco memoratis, minus illud verosimile videatur, Horatii interpretes eum, quem secundo loco memoravimus, L. Calpurnium Pisonem, Praef. Urbis, eximium hoc ab Horatio poëticum munus accepisse: illum *patrem* esse A. P. v. 24. compellatum; ejus duo filios (quos tamen historia ignorat) *juvenes patre dignos*, *majorem* et minorem ibidem et v. 366. intelligendos esse, minime dubitanter asserunt. Jam antiquitus Porphyrion: *Hunc librum*, inquit, *qui inscribitur de Arte Poëtica, ad Lucium Pisonem, qui postea urbis custos fuit, misit: nam ipse Piso poëta fuit et studiorum liberalium antistes.* Erat tamen omnino dubitationi locus. Studiorum quidem liberalium antistitem fuisse L. Pisonem, non negamus: id enim satis confirmatur Antipatri Thessalonicensis ad eum Epigrammate, in Analect. Brunckii Vol. II. p. 112. n. XIV. Fuerit etiam ipse poëta, ut huc spectaverit Auctor Panegyrici ad Pison. v. 150.

Mira subest gravitas inter fora, mirus, omissa
Paullisper gravitate, lepos. Si carmina forte
Nectere ludenti juvit fluitantia versu,
Aonium facilis deducit pagina carmen.

Verum primo, si filios L. Piso Pontifex habuit, cur illi numquam in historia memorantur? Ita statuendum eos juvenes decessisse: nam certe ad virilem aetatem superstites talis tantique viri liberi, nisi rebus, at honoribus tamen et magistratibus gestis ad aliquam posterorum notitiam inclaruissent. Sed ponamus aliquando L. Pisoni filios fuisse, illud quaeritur, utrum ante A. U. C. 735., quo anno vetustiorem hanc Epistolam esse supra docuimus, id aetatis esse potuerint filii L. Pisonis, ut iis quoque opus de Re Poëtica salvo pudore Noster ausus sit inscribere. L. Piso, ut ex Tacito liquet, Annal. VI. 10. natus est A. U. C. 708. Fuit igitur annis sedecim Horatio junior, et A. U. C. 735. vix tricesimum annum agebat. An credibile est, jam tum eum filios habuisse, quos colore aliquo *juvenes* dicere Noster potuerit? Wielandium

adeo; qui, quamquam Epistolae ſcriptae tempus haud exacte definiri poſſe dicit, ſcriptam tamen paullo ante A. U. C. 739. Piſoni quartum et triceſimum aetatis, exiſtimare videtur, tributa filiis ejus appellatio *juvenum* offendit, unde ipſe *juvenes* nihil aliud notare dicit, niſi filios, eaque ſignificatione frequentem eam vocem eſſe etiam apud optimos Latinae linguae Auctores, cujus rei vellem et exempla protuliſſet. Atqui multo magis eum *juvenum* illud nomen offendiſſet, ſi nobiſcum ſcriptam Epiſtolam ante mortem Virgilii, ſive diem X. Kal. Oct. anni U. C. 735. exiſtimaſſet. Etenim illo anno L. Piſonis filios, ſi quos habuit, vix adoleſcentulos fuiſſe, duodecim ad ſummum aut tredecim annorum, evidenter ipſa res docet. Quid, ſi prius etiam ſcriptam Epiſtolam cenſeamus, magis recente adhuc memoria Quinctilii, quem A. U. C. 730. deceſſiſſe conſtat: quam belle coram ſeptem aut octo annorum puerulis de iambicorum verſuum fabrica, de Plautinis numeris ac ſalibus, de probandis aut improbandis carminibus, et omnino de Arte Poëtica diſputaverit Horatius! tota Epiſtolae ratio clamat, veros intelligendos eſſe juvenes, qui jam patre dignos ſe probarent, jam judicio et mente valerent, jam donare aliquid bene (aut male!) de ſe meritis poſſent. Haec vero omnia in L. Piſonis filios illa aetate non quadrant. Itaque potius eſt, ut de alio Piſone cogitemus. Glareanus et Nannius mentionem etiam Cnei fecerunt. Ille, *ego malim*, inquit, *de iis, qui ſub Auguſto vixere, Piſonibus, L. et Cn. viris Conſularibus intelligere. de Lucio plane intelligit Porphyrion. filii, ut vocati* (fuerint) *non legitur.* Addit tamen: *itaque ad patrem L. Piſonem ejusque filios ſcripſiſſe ſatis claret ex ſequentibus poëtae verbis:* Maxima pars vatum *pater et juvenes patre digni.* Nannius autem, *hic porro*, ait, *mentio de Cn. et L. Piſonibus, qui ſub Auguſto vixerunt, de quibus plura dicunt Cornelius Tacitus et Seneca, Ep.* 83. Vides tamen, quam parum exacte de Cn. ſimul et Lucio Piſonibus mentio fieri apud Horatium dicatur. Nam Cn. quidem et Lucius nihil ad ſe invicem pertinebant. Fratres certe non erant, cum, Acrone teſte, ad fratres ſcriptam Epiſtolam quidam dixerint. Etenim Lucii pater, ſocer idem C. Caeſaris dictatoris, L. Calpurnius Piſo Caeſoninus fuit. Cnei pater item dictus fuit Cneus. (vid. Pighius ad ann. 730.) neſcio an idem, cujus mentio exſtat apud Valer. Max. VI. c. 2. §. 4. forte non diverſi ab eo, quem Cicero memorat in fragm. Orat. in toga Candida ap. Aſconium. At in Epiſtola memorantur pater et duo filii, non ut Acron ſcribit, pater et filius. Itaque nobis quidem Cn. Calpurnius Piſo Cn. Fil. Cn. Nep. qui Coſ. ſuffectus cum Auguſto fuit A. U. C. 730. is videtur eſſe, quem Horatius hac Epiſtola *patrem* vocat. Hic autem filios habuit Cn. et L. Piſones (vid. ſupra III. et IV) quorum certe Cneus A. U. C. 728. jam ejus aetatis erat, ut in notitiam ac familiaritatem Auguſti veniret, cum in codicillis anno 773. ſcriptis ſenem ipſe ſe teſtetur, ap. Tacit. III. Annal. 16. Cn. autem Piſo pater amicitiam cum Horatio contraxit, contrahere certe potuit in caſtris Bruti et Caſſii, quos utrumque duces ſecutum de Piſone quidem ex Taciti Ann. II. 43. de Horatio cum ex vita ejus, tum e ſcriptis conſtat. Haec igitur ex tali principio orta neceſſitudo postea magis etiam fuiſſe exculta videtur, ut omnibus omnino, qui ſuperſtites ex clade Philippenſi Romam redierunt, nobilioribus adoleſcentibus, Meſſalae, Septimio, Pompejo, cet. gratus ſemper acceptusque Noſter fuit. Vid. omnino R. van Ommeren in diſputatione Belgica de Q. Horatio Flacco, ſub finem. Et forte a vetere ſtudio partium, quas eaſdem cum Cn.

Pisone patre secutus ac tuitus fuerat Horatius, profectum, quod in versu 301. *Licinum*, quem ob odium in Pompejanos Caesar e tonsore senatorem fecerat, nulla dignitatis ejus habita ratione, simpliciter *tonsorem* appellet. cf. Dio Cass. LIV. 21. Senec. Epist. 119. et sq. Scholiastae ad h. l. Qui jocus ut Cn. Pisoni, Pompejanas partes secuto, lepidus videri debuit, ita minime gratus fuisset L. Calpurnio Pisoni, cujus germana Calpurnia Caesari nupta fuerat. Earumdem partium studium etiam aliquo modo cernitur in laudatis Epistolae hujus versu 371. A. Cascellio Messalaque, quos ambo priscae libertatis studiosissimos fuisse ex historia notum est. Hic enim A. Cascellius, idem forte quem et Cicero memorat pro Balbo c. 19. *nullius aut gratia aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret. — Idem cum multa de temporibus Caesaris* (Augusti) *liberius loqueretur, amicique, ne id faceret, monerent, duas res, quae hominibus amarissimae viderentur, magnam sibi libertatem praebere respondit, senectutem et orbitatem.* Verba sunt Valerii Maximi VI: 2. 12. Plura vid. in l. 2. §. 45. D. de orig. Juris et apud Bynkershoeck., in praetermiss. ad Pomponium l. cit. De Messala vid. Plut. Op. T. I. p. 1009. Cum igitur omnia in Cn. Calpurnium Pisonem ejusque filios Cn. et L. Pisones quam aptissime convenire videantur, quidni Horatium ad hos scripsisse statuamus? quo facto scriptae quoque Epistolae tempus accuratius jam indicare possumus. Verosimile igitur est, Horatium A. U. C. 730. vel initio Anni 731. scripsisse. Hoc certe tempus optime congruit cum illis, quae supra de Pisonis filii ex Hispania cum Augusto reditu diximus. Deinde, si anno jam U. C. 775. senex Cn. Piso filius fuit (ponamus quinque et sexaginta annos natum fuisse) certe A. U. C. 730. adhuc is erat, cui diceres

> *O Major juvenum*, quamvis et voce paterna
> Fingeris ad rectum. ——
> —— *Si quid tamen* olim
> *Scripseris, in* Maeci *descendat judicis aures*
> *Et* patris *et* nostras.

Valde sit juvenis oportet, quem hoc modo alloquaris: ut jam nihil addam iis, quae supra dixi de Maecio, cum etiam Cascellius vix ad seriora tempora aetatem producere potuisse videatur. Neque, quod Haberfeld. putavit, senioris hoc Horatii opus fuisse probat hujus Epistolae versus 305.

> *Munus et officium, nil scribens ipse*, docebo.

quae verba de dramaticis tantum et epicis et omnino majoribus carminibus intelligenda sunt. vid. vers. 310 et sqq. et cf. II. Epist. 1. 208.

E duobus autem Cn. Calpurnii Pisonis filiis certe majorem ingenio violentum et obsequii ignarum supra cognovimus e Tacito II. Ann. 43. Quae si jam a parvulo fuit insita ferocia, aspera illa monitoribus, et nullius non rei fiduciam sibi sumens; quidni isto juvenis ingenio versus etiam facere, atque adeo factos in lucem edere, quamvis ignarus artis Poëticae, tentaverit, eam scilicet artem esse non reputans? Quidni inde pater, cum satis ad rectum eum ipse

fingere non posset, poëtarum principem atque eundem veterem familiarem suum Horatium quasi in auxilium vocaverit, ut huic certe, vera atque utilia monenti, fidem juvenis haberet, arte etiam ad poësin opus esse, mediocribus esse poëtis non licere, cavendum poëtae, praesertim diviti, ab assentatoribus, et sic porro? Esse enim ab aliqua gravi causa, majoris juvenum Pisonis propria, allocutionem hancce profectam:

O Major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis; hoc tibi dictum
Tolle memor cet.

non immerito statuisse Wielandius videtur. Eam vero causam nobis, certe ex parte, jam subindicat historia, arrogans et obsequii ignarum Cn. Calpurnii Pisonis filii ingenium, quod, praepostero captum studio poëseos, ne penitus in furorem verterent alii, aeque mali, sed minus divites poëtae ac poëtarum judices, quales in Augusti, Tiberiique comitatu plures fuisse verosimile est (vid. Horat. I. Epist. II. 3. et 8) pater quovis modo providendum sibi duxerit.

CAPUT QUARTUM,

DE FORMA HUJUS OPERIS.

Cum Horatianum hoc opus aliquoties jam Epistolam dixerimus, ad probandum ita recte nos fecisse, primum doceamus necesse est, quale poëma, nobis quidem judicibus, jure Epistola censeatur: deinde, tale esse Horatii poëma ad Pisones. Poëticam, sive Horatianam Epistolam nescio an probabiliter ita quis definiverit: *De certa re ad certam personam, certasve personas, quam, quasve potissimum illa res tangat, familiarius scriptum poëma.* Etenim primo, cum poëticum opus esse nullum possit, nisi de certa re et ad certum finem scriptum, sequitur etiam in epistola poëtica requiri, ut habeat unam, certam, sibique constantem materiam, quae ad certum finem conducat; adeoque servandum etiam in hac esse praeceptum Horatii:

Denique sit, quod vis, simplex duntaxat et unum.

Alias epistolam quidem forte scripseris, at non poëticam epistolam. Et hoc etiam voluisse Lambinus videtur, in praef. ad Ep. ad Pisones ita scribens: *suo quaeque epistola constat argumento, neque debent inanes esse epistolae.* cf. Haberfeld. in eximia Disputatione de Epistola Horatiana. pag. XX. Ceterum ipsa appellatio *poëmatis* satis indicat, tale esse epistolae poëticae argumentum debere, quod aliquomodo poëtice possit tractari, ut adeo cogitationes, quae dicuntur, abstractae, vel etiam metaphysicae disputationes, atque omnes res, quae nisi Mathematicorum demonstrandi subtilitate atque acumine, Logicorum ac Dialecticorum distinguendi solertia, expediri nequeant, sicut in nullo facile poëmate, ita nec in Epistola recte locum inventurae sint: cum in hac ideo quoque locum eae non habeant, quia fere familiarius scripta est. Idcirco epistolae magis conveniunt praecepta de vitae instituendae ratione ac similibus rebus, quae ad ejus, cui scripta est epistola, accommodari tempus queant. vid. Haberf. pag. XIX. Atque hac quidem in re maxime epistola poëtica a ceteris differt epistolis; nam id, quod requisivimus, alterum, ut scripta sit ad certam personam, de eo, quod ipsam potissimum tangat, id magis ei cum ceteris epistolis commune est. Hoc enim, non ex poëmatum, sed ex natura ductum est epistolarum, quae semper uti certis personis, ita de rebus ad eas maxime pertinentibus scribuntur. Igitur nulla etiam veri nominis Epistola esse poëtica potest, ut nec ulla est Horatiana, quae incertum relinquat, cui scripta sit. Verum omnes quidem Horatii Epistolae ex privata necessitudine cum aliqua persona de ejus temporibus, studiis, opinionibus, vel aliis rebus, ipsam maxime tangentibus, scriptae sunt. Vid. Wieland in praef. ad h. l. p. 186. Atque hinc potissimum fit, ut eorum, de quibus alibi nihil legimus, mores, ut Numicii, Bullatii, Fusci, post perlectam Horatii ad eos epistolam, tantum non plene cognoscamus. vid. Haberf. p. XIX.

Porro hoc etiam Epistola poëtica ex omnium Epistolarum natura habet, quod ejus fere familiarior, hoc est liberior atque solutior cum ratio, tum oratio esse soleat. Debet quidem epistolae scriptor unitatis ac simplicitatis legem servare, certumque adeo sibi propositum finem habere; sed nihil vetat, quominus per longas demum ambages ad illum perveniat. Sic Epistolam ad Augustum scribenti propositum Horatio fuisse videtur, excusare se principi, quod non longius ac gravius aliquod carmen in ejus honorem scriberet. Eleganter quidem hoc consilium ab initio statim Epistolae poëta exponit, sed deinde multa subjungit, quae, quamvis ad Augustum quoque pertinentia, tamen primo quidem intuitu non nemini aliena a primario argumento videantur, cum sub extremam tamen epistolam in eo desinant. Ita quidem, quae res prima fronte cum ipso argumento conjunctae non videbantur, si modo tandem ad propositum poëtae finem conducant, probabiliter ab eo possunt inferi, praesertim si talibus eum, ad quem scribit, magis aut detineri aut moveri posse credat. Neque etiam ab epistolam scribente poëta accuratam illam et ad leges Rhetoricorum aut Dialecticorum severe exactam partium dispositionem merito quis requirat. Debent quidem cogitationes aliquo nexu inter se conjunctae esse; debent ad unum finem referri; sed nexum illum ubique in Epistola poëtica manifestum apparere, certe non est necesse. Potius lector ipse quaedam suppleat, et quae male juncta videbantur, ipse conjungat, ac latentem saepe sententiarum connexionem investiget; atque ita cum auctore veluti cogitet, unde maxima ex tali lecta Epistola voluptas oriatur. Quoniam scilicet familiarior ejus ratio est, scriptor cogitationes suas non anxie cum severitate quadam laboris et curae, sed celeriter et facile exprimere, magisque ludere, quam seriam rem agere propositum habet. vid. Hurd. et Haberfeld. p. XXVIII. Et hinc factum est, ut fere nulla arte scriptae Horatii Epistolae videantur, quamvis in plurimis maximam artem adhibitam fuisse non negaverim, sed latentem illam, quam investigatis demum diligentius nexu cogitationum et progressu peritus poëtarum judex animadvertat. Praeterea non Scholasticum aliquem ordinem epistolarum scriptor servet. „ Amat enim Epistola familiaritatem quamdam; „ at nimis accuratus ordo ad severitatem potius, quam ad familiaritatem propendet; itaque „ non est alienum ab epistolae decoro non imitari rationem illam, quam ceteri servant in ex„ plicanda doctrina". Verba sunt Lambini in praef.

Itaque ratio quidem epistolarum poëticarum familiaris esse debet: idem vero et de oratione dicendum. Semper enim epistolam poëta scribens eum cogitare debet, ad quem scribit, et quasi ad eum viva voce verba faceret, familiariter cogitata exprimere. Atque sic etiam non sublimis illa epistolarum oratio esse debet, verum incitata et vivida, ut constet, poëtam re vera sentire, quae scribat, eaque amicis persuadere velle; quos et nominatim compellet cum epistolarum initio, tum quoties gravior materia majorem animi attentionem postulare videatur. cf. Haberf. pag. XXII.

Hoc etiam, quod familiarius atque amantius scripta est epistola, eam maxime distinguit a Satyris, cum alias harum orationi simillima sit epistolaris. vid. Cruq. ad Sat. I. 1. et Hurd. in introd. ad h. l. pag. 10. nimirum Satyricus scriptor homines notos magis, quam familiares, plerumque etiam sibi invisos, acriter et acerbe insectabitur, perstringet, mordebit, omnia nudans vitia et peccata, nec horum ulli parcens. At Epistolarum scriptor vitia quidem amicis,

si qua habeant, indicabit: verum hoc ut amanter, ita jucunde faciet. Semper consiliis, nunquam conviciis pugnabit. Plerumque totam rem ipsorum, quibus scribit, aequitati atque arbitrio permittet; in omnibus verum aget amicum, atque familiarem. vid. Haberſ. p. XXVI. confer. etiam Sat. 10. Lib. I. cum Ep. 8. Lib. I.

Cum igitur, quae natura sit Epistolae Poëticae satis superiora declaraverint, illud porro videndum, an ex hoc etiam genere sit Horatii poëma ad Pisones, et an huic poëmati ea insint omnia, quae definitio supra proposita ejusque probationes requirunt. Ut igitur sit epistola, debet hoc poëma ad certam personam certasve personas de certa re, quae ad eam easve proxime pertineat, familiarius scriptum esse. Est autem Horatianum opus ad Pisones scriptum, qui epistolarum more statim in exordio familiariter, ut amici auctoris, compellantur. *At vero*, dicat aliquis cum Grifolo, *quodnam est opus tam magnum et tam amplum de alicujus artis institutione, quod eum statim non appellet, ad quem scribitur? Nullum igitur est Ciceronis opus, quod non Epistola possit appellari: quod idem accidit Georgicis praeceptis, quae ad Maecenatem scripta sunt a Virgilio; idem omnibus denique libris de aliqua doctrina a magnis auctoribus conscriptis.* Sed primum in iis operibus fere una tantum est compellatio in prooemio vel dedicatione; neque aut Attici in Tusculanis, aut Varronis in Academicis, aut Maecenatis in Georgicis ulla postea ratio habetur. At Horatius saepe postea Pisones compellat; eos saepe respicit, et cum iis veluti colloquitur. Deinde, etiamsi verum esset in illis libris Ciceronis atque Virgilii, personarum, quibus inscripti sunt, tam frequentem atque hic compellationem obtinere, inde tamen minime sequeretur, aut eos Epistolas esse, aut hunc Horatii librum non esse Epistolam, cum id etiam ex reliquis, quae in definitione posuimus, colligi censerique debeat.

Itaque porro videndum, sitne una atque certa hujus operis materia, quam eorum maxime, quibus est inscriptum opus, habita ratione, auctor tractandam sibi sumserit. Et vero materiem hujus operis unam aliquam atque certam nescio an multi interpretes nullam deprehenderint, qui vel ad nexum praeceptorum inter se invicem minus attenderunt, quemadmodum Acron, Porphyrion, Scholiastes Cruquii et plerique alii antiquiores; vel etiam hoc opus ne absolutum quidem esse docuerunt, ut Dacier. At nobis quidem, in primo capite hujus opusculi, satis hoc constare videbatur, omnino esse omnia inter se nexu conjuncta, ita ut alia ex aliis sponte sua ac facile sequantur, unumque ac totum aliquod opus constituant, cujus idcirco etiam una sit materia necesse est. Sunt ea omnia praecepta ad poësin, ad artem poëticam spectantia, quibus tamen universam poëseos artem sive doctrinam contineri, non facile Pignae, Freigio, Regelsbergeroque largiar. Sunt enim multae res, quibus perfecta artis poëticae institutio non facile careat, in hoc Horatii opere penitus praetermissae: aliae, quae diligentissimam investigationem requirant, leviter breviterque tractatae. Ubi scilicet illa Peripetiae et Agnitionis doctrina, de quibus tam multa Aristoteles? Ubi diversarum chori partium expositio, cum de variis ejus officiis tam copiose disserat poëta? Non igitur omnia persecutus est Horatius, neque perfectam hic Artis doctrinam prodidit. Quod colligere etiam est cum ex modo atque ordine, quibus res tractavit, tum ex multis

etiam praeceptis atque consiliis, quae in eorum unice, ad quos scriptum est poëma, non in omnium poëtarum atque publicum usum tradita ab auctore videantur. Rectius igitur alii, ut Grifolus, de decoro maxime in poëmatibus observando; item alii, ut Haberfeld, et olim Lambinus, inscriptionem *de Arte Poëtica* argumenti expositionem esse rati, de Artis in poësi necessitate Nostrum hic agere statuerunt. Sed de his quidem accuratius in sequenti capite videbimus: illud nunc monuisse sufficiat, quodcumque in conscribendo hoc opere poëtae consilium fuerit, certe contenta eo monita ac praecepta omnia ad poësin et poëticam artem pertinere; quod si verum est, ut non facile quisquam negaverit, una sane est operis materies, unum ac simplex argumentum. Traduntur praecepta de una, ut cum inscriptione loquar, *arte poëtica*. Illa autem praecepta, quod inprimis hic considerandum venit, eos potissimum, ad quos scribit Horatius, Pisones tangunt, inprimis filiorum natu majorem. Eos, ut initio poëmatis, sic deinde vers. 24. et 235. expresse Noster compellat. Eos diserte versu 268. jubet exemplaria Graeca

Nocturna versare manu, versare diurna.

nec minus in versu 293. *Vos*, inquit, O

Pompilius sanguis! carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coërcuit: atque
Praesectum decies non castigavit ad unguem.

quid illa, versu 366. sqq.

O major juvenum! quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis; hoc tibi dictum
Tolle memor: cet.

et mox versu 385.

Tu nihil invita dices faciesve Minerva;

nonne satis illa probant, quemadmodum ad, ita propter Pisones scriptum poëma esse: adeoque de certa re ad certas personas, quas potissimum illa res tangebat? Itaque restat jam, ut demonstremus etiam scriptum esse familiarius, hoc est, ut ad familiares, cum ratione, tum oratione, liberius, solutius, amantius.

Ad rationem primo quod attinet, carmen hoc de Arte poëtica didacticum opinatus Julius Caesar Scaliger: *Horatius*, inquit, *Artem quam inscripsit adeo sine ulla docet arte, ut saturae propius totum opus illud esse videatur. Ordinem neglexit Aristoteles, Horatius vitiavit.* Et sane, si didacticum carmen esse statuas, vereor ut Horatii rationem tueri possis: sunt enim, me quidem judice, Pignae, Freigii, Regelsbergeri ingeniosa magis, quam probabilia commenta. An igitur Horatium veram carminis didactici rationem ignorasse, et cum artem traderet poëti-

cam, quid ipsa ars esset, nescivisse putabimus? Ridicula haec et in Horatium periniqua suspicio. Quid, si non carmen didacticum, sed epistola fuerit? Num ita quoque propius saturae opus nos offendet? Audiamus Jasonem de Nores. *In hoc*, inquit, *opere ordinem non ita servatum ab Horatio videmus, ut ab iis, qui de aliqua re documenta litteris tradiderunt. Est ille quidem peracutus et diligens in praecipiendi ratione: ordinem tamen, cum Epistolam scriberet, non ita custodit ac tuetur, ut si librum scriberet.* Scilicet Epistolam ad familiares scribens de re, quam potenter ipse legerat, cujus adeo callentissimus erat, ordinem quidem, quem in libro sive carmine didactico servaturus fuisset, utique nec servavit ille, nec servare voluit. Imo potius, liberum cogitationibus suis cursum relinquens, eas, prout aliae ex aliis nascebantur, cum amicis Pisonibus communicavit, et eatenus vere dictum est a Scaligero, de arte Nostrum tradidisse sine arte, atque adeo ordinem illum vitiavisse: sed aliquem tamen ordinem tuitus est Horatius, eum videlicet, quem sapiens vir, de re quadam majoris momenti, cujus peritissimus ipse sit, aliorum caussa meditans ac scribens, facile quivis tueatur; ipse autem omnium optime tueri poterat; cum nulla sit ejus epistola, quin tali sese ordine commendet. Et hoc est, quod supra diximus, omnes Horatii Epistolas, quamvis prima fronte artem non ostentent, maxima tamen arte conscriptas esse, ut omnino tales scribere nemo possit, nisi, qui plurimum ut ingenio sic arte valeat.

Sed est porro etiam oratio hujus scripti familiaris, ne dicam epistolaris, a Satyrico genere tantum hoc diversa, quod minus est mordax. Sunt omnes comparationes a vita communi ductae, festivissimae pleraeque. vid. versus 1. sqq. 14. sqq. 32. sqq. 230. sqq. 348. sqq. 374. sqq. 412. sqq. 419. sqq. 431. sqq. Est etiam dictio pluribus in locis tantum non vulgaris. vid. vers 35. et sqq. 38. sqq. 89. sqq. 325. sq. Sic tamen est ex noto fictum carmen,

ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem. cet.

in multis etiam, ut in epistola, jocatur, estque interdum dictio ad comicam rationem accommodata. Ex quo genere sunt haec vs. 319.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

vs. 249.

Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantve corona.

totus etiam locus, quo Democrito auctore insanientes poëtas ridet, a versu 295—305. item vs. 382. sqq. 416. sqq. 456. sqq. 470. sqq. Unde quod est in versu 113. *equites peditesque*, nescio, an sollicitari a Bentlejo non debuerit. Ad summam cum amicis veluti colloquitur; et quamvis juvenum majorem absque assentatione moneat, fortasse etiam tecte reprehendat, id tamen adeo modeste facit, ut is ipsi propterea ne subirasci quidem potuerit. Sic versu 366.

O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis, *hoc tibi dictum*
Tolle memor.

deinde versu 385.

Tu nihil invita dices faciesve Minerva:
Id tibi judicium est, ea mens. *Si quid tamen olim*
Scripseris, in Maeci descendat judicis aures,
Et patris, et nostras. cet.

Profecto familiariter non minus, quam modeste et amanter eum in his locis monet, ut solet in Epistolis. Sic Lib. I. Epist. 17.

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis, *et scis,*
Quo tandem pacto deceat majoribus uti:
Disce, docendus adhuc quae censet amiculus: ut si
Caecus iter monstrare velit: tamen aspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.

neque etiam longe differunt illa ad Lollium Lib. Ep. I. 18. 67. sq.

Protinus ut moneam, si quid monitoris eges tu,
Quid de quoque viro, et cui dicas, saepe videto.

Cum itaque prorsus tale sit hoc opus, quale poëticam epistolam esse supra docere conati sumus, nos etiam Lambinum sequamur, cui verus et antiquissimus hujus operis titulus habetur *Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones*, verba *de Arte Poëtica* additamentum grammaticorum, quibus et Epistolae argumentum exponerent, et facilius eam a ceteris distinguerent. Quod enim Quinctilianus in Ep. ad Tryph. institutionibus suis oratoriis praemissa, Horatium *in Arte Poëtica*, et Institt. Orat. VIII. 3. Horatium *in prima parte libri de Arte Poëtica* citat, Sidonius etiam Apollinaris, Diomedes, Priscianus, et Porphyrion librum de Arte poëtica, vel Artem poëticam laudant: id magis antiquitatem hujus citationis, quam veritatem ostendere recte monuit Haberfeld. Certe divisio libri in partes non nisi Grammaticis imputari potest, quos inde secutum Quinctilianum patet. Vides etiam hunc sibi non constare, cum alio loco *Artem Poëticam*, alio loco *primam partem libri de Arte Poëtica* vocarit: ut hic potius ipsius operis ratio sit habenda, quam incertae consuetudinis. Deinde liber dici etiam epistola, praesertim major potest. vid. Nepos. in Lys. cap. 4. Quod si quis tertiam esse dicat epistolam libri secundi, quemadmodum Cruquius et Wieland. titulum exhibent, equidem non repugno, modo concedat, hanc tamen diu ante illas ad Augustum et Florum conscriptam fuisse.

CAPUT QUINTUM,

DE AUCTORIS CONSILIO.

De Horatii in conscribenda hac Epistola consilio variae Doctorum Virorum opiniones ad tres potissimum mihi referri posse classes videbantur: ut prima esset eorum, qui Horatium in hoc opere nihil nisi praecepta quaedam ad poësin pertinentia quasi per saturam congerere voluisse existimarunt: altera eorum, qui absolutissimam artem poëticam, certe perfectissimum ejus compendium, ordine quam aptissimo et voluisse Nostrum tradere, et vero etiam tradidisse contenderunt: tertia denique mediam inter priores duas viam secutorum, qui praecepta quidem Horatii connexa inter se unumque iis ac certum subesse consilium arbitrati sunt, haud tamen artem poëticam ejusve compendium tradendi.

Ad primam quidem classem haud dubie referendus est Porphyrion, qui, *in hunc librum*, inquit, *congessit Horatius praecepta Neoptolemi de Arte Poëtica, non quidem omnia, sed eminentissima.* Neoptolemus significari videtur, ab Athenaeo III. p. 82., X. p. 355., XI. p. 476. et Schol. Villoisoni ad Iliad. Ω. 235. laudatus, ὁ Παριανὸς, id est Πάριος, ex insula Paro oriundus, ut recte, Stephanum Byzantium citans in voce Πάρος, Villoisonus docuit in Prolegomenis ad Homeri Scholia p. XXX. Hunc enim περὶ ἐπιγραμμάτων scripsisse, partem forte citati a Porphyrione operis de Arte Poëtica, testis est Athenaeus X. p. 355. Ejusdem in Homerum observationes citant Villoisoni Scholia ad loc. Iliad. citatum; unde probabile est interpretationis ad Theocritum Id. I. 52. auctorem, in Theocriteis, quae versamus, Scholiis laudatum, Neoptolemum eumdem τὸν Παριανὸν significari, quamvis dissentiente Wartono in Notitia Scholiorum Theocriti p. 36. et in nota subjecta 6. qui diversum illum a Pario Neoptolemum Medicum fuisse putat, Auctorem μελιτουργίων, id est libri de ratione conficiendi servandique mellis. Vid. Plinius H. N. indice libri XI. Nec Pario Neoptolemo librum tribuere verear de vocabulis Phrygiis, quem scripsisse Neoptolemum auctor est Achilles Statius in Isagoge ad Aratum, cum diserte τὸν Παριανὸν ἐν γλώσσαις citet Athenaeus XI. p. 476, qui et ejusdem epicum, ut videtur, carmen Διονυσιάδα laudat III. p. 82. unde Neoptolemus Parianus (Parius) recte poëta et Grammaticus dicitur Fabricio, Bibl. Graec. T. XIV. p. 625. non item Epigrammatista Wartono l. supra citato. Nam aliud est epigrammata ipsum conscribere, aliud librum περὶ ἐπιγραμμάτων, quamobrem nescio, an exemtum eumdem velim etiam Catalogo poëtarum Epigrammatariorum apud Fabricium, Bibl. Graec. T. II. p. 721. Hujus igitur Neoptolemi fuit etiam, Porphyrione teste, opus de Arte Poëtica, unde, eodem teste, praecepta non quidem omnia, sed eminentissima in suum librum Horatius congesserit. Quo consilio? Hoc non addit Scholiastes. Sed cum statim subjiciat *primum praeceptum est* περὶ τῆς ἀκολουθίας: *deinde sequens praeceptum est cet. Tertium praeceptum est, cet.* et sic porro: nullum autem horum praeceptorum inter se nexum indicet, liquido constat, nihil eum in hoc opere vidisse, nisi

praeceptorum de arte poëtica congeriem, satis eam temere factam. Quod ad Neoptolemi librum attinet, eum quidem ab Horatio lectum non negaverim. Sunt tamen plurima in hujus scripto, quae ab Aristotele potius, quam Neoptolemo mutuatum ipsum recte asseveraturus mihi videar; longe plura etiam, quae certissime nulli Graecorum accepta retulit noster, aut referre potuit. Igitur congeriem esse dicamus non tantum eminentissimorum Neoptolemi, sed etiam Aristotelis, forte et aliorum, certe quoque ipsius Horatii praeceptorum: non autem temere factam illam, sed in certum finem, severissimo cum delectu. Neque enim erat is Horatius, qui in Epistolam Poëticam, cujus generis opus hoc censendum esse superiori Capite docuimus, quasdam, ut aliorum, ita suas observationes congerere et coacervare satis habens, eas inter se connectere et ad unum omnes finem intendere negligeret. Sed connexionem quidem illam et in conscribenda hac Epistola poëtae consilium quaerere neglexit ipse Porphyrion, quae si indagare voluisset, primo connexionem, forte non dissimilem ei, quam nos in Capite I. indicavimus, certe aliquam, deinde, accuratius inspecta connexione etiam universi operis consilium collegisset. Idem Acroni et Scholiastae Cruquii: idem etiam Nannio et Georgio Fabricio (cujus est summarium Artis poëticae in Editione Horatii Torrentiana) ceterisque objicias, qui in hoc opere nihil, nisi separata a se invicem praecepta spectarunt: nemini autem rectius, quam Dacierio, qui, Horatium summatim exponere praecepta Aristotelis, aliorumque de Arte Poëtica ratus, *Et comme*, inquit, *il ne travaillait pas a cela de suite et qu'il ne gardoit d'autre ordre, que celui des matières que le hasard lui donnoit a lire et a examiner, il est arrivé de la, qu'il n'y a aucune methode ni aucune liaison de parties dans ce traité, qui même n'a jamais été achevé, Horace n'ayant pas eu le tems d'y mettre la dernière main, ou, ce qui est plus vraisemblable, n'ayant pas voulu s'en donner la peine.* Quod Dacierii judicium eo magis mirum nobis accidit, quoniam ipse Dacierius et Epistolam esse hoc opus diserte affirmat, et vero etiam pluribus in locis optime praeceptorum nexum atque cogitationum seriem perspexit. Nam epistolam agnoscens certe Philosophicum ordinem requirere non debebat, multo minus, eo non invento, nullum praeceptorum ordinem, nullam connexionem esse pronuntiare. Et quibusdam in locis connexionem ipse perspiciens, etiam in aliis, ubi illam nondum perspiciebat, diligentius investigare potius, quam, ut complorata re, opus imperfectum et ab Auctore suo destitutum asserere debebat. Quid vero de Julio Caesare Scaligero dicemus, qui, *Horatius*, inquit, *artem, quam inscripsit, adeo sine ulla docet arte, ut saturae propius totum opus illud esse videatur?* An deceptum virum magnum inscriptione operis, quam ab ipso profectam Horatio credebat, Artem hujus, cum Aristotelis Arte collatam, (addit enim: *ordinem neglexit Aristoteles, Horatius vitiavit*) ad severissimam operis didascalici legem exegisse? Ita certe nullo modo ipsi satisfacere opus Horatii poterat, saturae quam arti propius, de quo morosius inde censuit, ordinem in illo non neglectum tantum, sed et vitiatum (h. est quasi de industria vitiatum) esse. Atqui non vitiavit ordinem Horatius, sed omnino certum aliquem secutus est, non quidem illum operis didascalici Scholasticum, sed poëtae ad amicos, familiarius ac solutius de re certa, certum in finem scribentis, epistolarem. Quod et ipse Scaliger vidisset, si non prius inscriptionem, quam ipsius formam, id est rationem atque orationem, operis inspiciendam duxisset.

Prudenter G. J. Vossius, de Artis Poët. Nat. ac Const. c. 14. *in distributione poëtices*, inquit, *non ita multum nos adjuvat Horatius libro de Arte ad Pisones. Nec enim accurata admodum ejus est οἰκονομία. Scio viros eruditos, ut huic vitio medeantur, alio velle ordine disponere: sed loquimur nunc, non quomodo illi (rectene an secus non disputo) collocare maluissent; sed quomodo, constanti omnium codicum consensu, digesserit Horatius: qui epistolam dedit; et quasi per saturam congessit praecepta complura; de ordine autem non ita multum laboravit.* Minus recte *praeceptiones saltuatim datas* censet Desprez, cujus est Horatii editio in usum Delphini.

Ad secundam classem pertinent ii, qui Horatium omnino voluisse Artem Poëticam, ejusve compendium scribere, et vero etiam perfectissime scripsisse contenderunt. Hos fuisse video Freigium, Pignam, Michelsenum, Regelsbergerum: quibus etiam accenseri quodammodo possint D. Heinsius et Bouhierius.

Freigius quidem in praef. ad h. l. quamvis praecepta singula inter se cohaerere non putans, summam tamen libri de Arte Poëtica hanc delineavit:

Praecepta Poëseos Horatianae sunt vel

- *communia cum aliis artibus.*
  - *Logica*
    - *de Methodo.*
    - *de inventione.*
    - *de dispositione.*
  - *Rhetorica*
    - *de elocutione*
      - *de verbis.*
      - *de numeris.*
    - *de pronunciatione, seu actione et affectibus.*
  - *Ethica*
    - *de decoro.*
    - *de moribus personarum, quae vel*
      - *Veteres, vel*
      - *Novae.*
- *vel sunt propria poëtarum*
  - *de generibus poëmatum, eorumque tractatione et inventione.*
  - *de causis efficientibus poëtam*
    - *exercitatione.*
    - *arte.*
    - *natura.*
  - *de vitiis poëtae fugiendis, ut sunt*
    - *adulatio.*
    - *φιλαυτία.*

Diligentius etiam Pignas hujus constituerat operis analysin, cujus praecipuae divisiones hae sunt:

Poësis est vel

- *Tota.*
  - *re*
    - *inventione*, ad versum 14.
    - *dispositione*, ad v. 24.
  - *verbis*
    - *inventione*, ad v. 28.
    - *dispositione*, ad v. 32.
  - *compositione*
    - *quoad poëma*, ad v. 38.
    - *quoad poëtam*, ad v. 42.

vel *Partita*
- *In Epopoeam* / *In Tragoediam* / *In Comoediam*
  - *tractatione*, ad v. 46.
  - *verbis*, ad v. 73.
  - *carmine*, ad v. 89.

In Tragoediam et Comoediam.

Qualitate.
- *fabula, de qua in principio.*
- *dictione*
  - *stilo*, ad v. 99.
  - *affectibus*, ad v. 104.
  - *actione*, ad v. 114.
- *moribus: in quibus sequi nos debere verisimile*
  - *notius*, ad v. 131.
  - *ignotius*, ad v. 153. *unde de moribus aetatis* ad v. 179.
- *perturbationibus*, ad v. 179.

Quantitate.
- *quoad fabulam*
  - *discreta*, ad v. 191.
  - *continua*
    - *exodus*, v. 191 et sq.
    - *episodium*, supra v. 24.
    - *chorus*, ad v. 250.
    - *prologus*, v. supra v. 136.
- *quoad carmen*, ad v. 275.
- *quoad originem*
  - *apud Graecos*, ad vers. 285.
  - *apud Latinos, quos errasse docet, quod poëtam solo naturali ingenio posse excellere existimaverunt*, ad v. 295.

Natura poëtas non posse perfici, ad v. 301.

Arte poëtas posse perfici
- *ob materiam*, ad v. 323.
- *ob finem*, ad v. 391.
- *ob effectum*, ad v. 408.

Arte poëtas posse perfici non sine Natura, ad v. 412.
Itaque primo Artem et Naturam conjungi debere, ad v. 416.
Secundo evitandam arrogantiam, ad v. 419.
quae inducitur ab adulatoribus, ad v. 438.
non ab amicis, ad v. 453., *qui culpant, ne poëta in seria mala incidat*, ad fin.

Est autem haec summa ejus, ac primaria partitio. Nam omnes minores recensere infinitum esset. Speciminis gratia tamen etiam harum unum notabilius exemplum subjiciemus. In *fabula continua* spectari Pignas a poëta partes putat *exodum*, *episodium*, *chorum*, *prologum*. de his ita pergit.

I. *Exodus.*
- *per se.* *Fabulam divina ope tunc solvendam, cum extrema nos urget necessitas*, ad v. 191.
- *per accidens.* *Quamquam in solvenda fabula plures occurrant personae, non tamen debere esse plures quam quatuor, et quartam necessario tantum inducendam*, ad v. 192.

II. *Episodium.* *De hoc in materiae dispositione, secundo praecepto*, ad v. 24.

III. *Chorus.* *Qui est simplex, vel mixtus. Mixtum* item dividit in *mixtum cum sono* et *cum saltu*: unde mox et musicae et Satyrorum tractationem derivat.

Verum *simplex Chorus*, inquit, *aut loqui debet, aut canere, et dum loquitur, fungi histrionis, dum vero canit, officio proprio: histrionem gerere defendendo virtutem: suum exercere munus afferendo, quae sint ex re et ad rem,*

1. *In vita privata.*
   - *ob virtutem; bonis re et verbis favere.*
   - *ob continentiam; iratos regere et amare illos, qui peccare timent.*

2. *In vita publica.*
   - *ob seculum aureum; laudare dapes brevis mensae.*
   - *ob seculum secundum et tertium; laudare otia libera et justitiam ac leges.*
   - *ob seculum ferreum: tegere commissa, licet miserabilia, et Deos precari, ut digni miseratione bona fortuna utantur: scelesti non exsultent.*

IV. *Prologus: de hoc in propositione, vigesimo quarto praecepto,* versu 136. sqq.

Et sic fere in minutissimas partes praecepta hujus operis diducit.

Michelsenus, Prof. quondam Berolinensis, cujus est editio hujus operis, *der Horazens Dichkunst erlautert, ubersetzt, und als ein vortreffliches ganzes dargestelt, Halle* 1787. in 8. primum in tria capita dividit hoc opus, ut Primum contineatur versibus 37. prioribus, qui pro exordio sint: Secundum ad vers. 309. pertineat, cujus duplex sit materia, ita ut ad vers. 153. praecepta de omnibus carminum generibus; ab eo inde versu, propria dramati, tradantur: Tertio denique capite, inde a vers. 309. ad finem, de viis ac rationibus, quibus poëtae ad summam perfectionem perveniant, disputetur. Deinde vero tria haec capita item in minutissimas partes dissecat, et, ad summam, Horatii Artem idem poëtis praestare putat, quod Euclidis Elementa mathematicis.

Ingeniosius aliquanto Regelsbergerus, vir cl. in opere, cui titulus, *Horazens Dichtkunst in neu entdeckter ordnung, ein meisterstuck der Nachahmungskunst und Kürze, Lateinisch nach einer achthunderdjährigen Handschrift cet. Wien.* 1797. perfectum huic operi didascalium ordinem assertum ivit, hac ejus summa delineata:

I. *Poësis Theoretica.*

A. *De proprietatibus perfecti poëmatis universe.*
   1. *De inventione, universe,* v. 1—32.
   2. *De dispositione,* v. 32—47.
   3. *De elocutione,* v. 47—119.

B. *De proprietatibus perfecti poëmatis speciatim: Heroici, Tragici, Comici, Satyrici, Iambici.*
   1. *De inventione speciatim, inprimis de inveniendo Tragoediae argumento,* v. 119—136.
   2. *De dispositione speciatim*
      - *partium Heroici carminis,* v. 136—152.
      - *Tragici et Comici,* v. 153—220.

3. *De elocutione speciatim* { *in Satyris*, v. 220—251. *in Iämbis*, v. 251—255.

Quibus subjecta brevis narratio Historiae dramatum, v. 275—289.

II. *Practica Poësis.*

Exordium v. 285—306.

A. *Quid poëtae faciendum, antequam ad scribendum se conferat:*

1. *Homines quales esse debeant, ex Philosophia cognoscat*, v. 306—317.
2. *Illam cognitionem poëta excolat, diligenter cum hominibus vivendo eosque observando*, v. 317—323.
3. *Totum se conformet poësu ad imitationem Graecorum*, v. 323—333.

B. *Quid poëta servare inter scribendum debeat.*

1. *Id agat, ut simul et doceat et delectet.* v. 333—347.
2. *Pauca atque parva vitia multis ac magnis occultet virtutibus atque ita perfectum opus producat* v. 347—366.
3. *Statuat mediocribus esse poëtis non Deos, non homines, non columnas concessisse.*

C. *Quid poëtae scripto jam absoluto servandum.*

1. *Urbanitatis legem servet, nec ubique suum praedicet poëma, nondum illud satis perpolitum ac perfectum: sed*
   a.) *Exemplis et laude praestantium poëtarum inducatur, ut ipse etiam scripta sedulo castiget atque emendet*, v. 379—408.
   b.) *Artem non negligat, quia se natura praestare putat, nec poëma nimis cito in lucem edat*, v. 408—419.
   c.) *Illud doctorum virorum judicio subjiciat*, v. 419—459.
2. *Denique caveat, ne decipiatur ab adulatoribus, captus inani laudum studio*, v. 459. ad finem.

Heinsius autem et Bouhierius cum hujusmodi accuratam partium dispositionem et scholasticae disputationis ordinem invenire in hoc scripto vehementer cuperent, nec invenirent tamen, Heinsius quidem pudenter in uno alterove loco; Bouhierius vero per totam Epistolam ordinem illum restituere transponendis versibus conati sunt. Sic v. g. Heinsius, in versu 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum

Thespin significari putans, cujus diserta exstat mentio v. 275. sqq. quo concinnior esset ordo, versum 275. et quinque sqq. subjici versui 219. jussit; deinde brevi huic historiae tragici dramatis carminis Satyrici mentionem subjungi: quam mox exciperet veteris comoediae expositio, merito dictae *successisse his* (scilicet Satyris) *non sine multa laude. cet.* Heinsii transpositiones viro elegantissimo Bouhierio, (cujus Disputatio de Arte Poëtica Horatii nuperrime demum lucem vidit in Millinii Viri Cl. Horreo Encyclopaedeutico, Octob. 1806.) sufficere non videbantur: „Pauca, enim," inquit, „loca restituunt: plurima inordinata et confusa relinquunt: unde, cum parum utilitatis afferant ejus conjecturae, paucis probatas fuisse non

„ miror. Sed cum omnino transpositionum ope pristinum huic operi decus restitui posse, „ instaurato, qui jam nullus est, apte connexarum inter se partium ordine, persuasum mihi ha- „ berem, facere id ego conatus sum, quod fecisse Auctorem verosimile est, certe fecisse ipsum „ decuit, ut singulis praeceptis suum atque convenientem locum tribuerem, omnia tamen „ inter se connexa ad unum certumque propositum referrem. Opus hinc exstitit, apto, nisi „ fallor, et concinno ordine sese commendans, quod in triginta dividi sectiones sive partes „ potest, quae omnem artis poëticae materiam complectuntur." Ceterum hoc fere modo confusionem ordinis extitisse suspicatur Bouhierius. „ Grammatici hanc epistolam in multas „ partes diviserant. Testis Quinctilianus, qui Institt. Oratt. Lib. VIII. Cap. 3. *primam par-* „ *tem libri de A. P.* citat. Ratio, cur ita diviserint, haec forte fuit, ut methodus operis „ aliquanto facilius appareret, et magistris, qui illud discipulis suis dictare atque in illud com- „ mentari vellent, subinde locus daretur, ubi quiescerent. Fieri igitur potuit, ut, cum par- „ tes illae variis temporibus dictatae diversisque chartis mandatae essent, illi, quibus deinde „ cura eas congerendi fuit, veterem earum ordinem obliti, opus ediderint, quale nunc habe- „ mus, penitus illud perturbatum atque confusum."

Ex Bouhierii itaque dispositione Prima est pars de servanda operis unitate ac simplicitate, v. 1—13. Altera de natura atque arte pariter ad poësin necessariis, ut versui 13. subjungantur 408. *Natura fieret cet.* et tres sqq. his vero v. 295. *ingenium miserâ* et tredecim sqq. Tertia de fine poëseos v. 333. *Aut prodesse* cet. et sq. quem excipiant v. 391. *Sylvestres homines cet* — 407. Quarta de materia sumenda, v. 38. *Sumite materiam* et tres sequentes. Quinta de versibus cuique materiae propriis, v. 73. *Res gestae* et quinque sqq. deinde vs. 83 *Musa dedit* et duo sqq. tum v. 79. *Archilochum* et tres seqq. Sexta, pars de Tragoediarum argumentis, a v. 119.

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor honoratus. *Si forte reponis Achillem,*

(ita legit Bouhierius) ad v. 130. Septima pars, quomodo materies alicujus propria possit fieri, v. 131. *Publica materies* et tres sqq. Octava, Homerus ad imitationem propositus, v. 136. *Nec sic incipies* ad v. 152. Pars nona, poëtam non esse nimium debere in exornandis partibus a vs. 14. *Inceptis gravibus* ad v. 37. Sequuntur propria fabulis praecepta. Pars decima, de Tragoediae et Satyrae et Comoediae ortu et progressibus, v. 275. *Ignotum tragicae* et quinque sqq. v. 220. *Carmine qui tragico* et quatuor sqq. v. 281. *Successit vetus* et tres sqq. Pars undecima, de differentia inter tragoediam et Satyricam fabulam, v. 231. *Effutire leves* et duo sqq. Pars duodecima, de Satyrica fabula, v. 225. *Verum ita risores* et quinque sqq. v. 244. *Sylvis deducti* et sqq. ad v. 250. deinde v. 236. *Non ego inornata* et sqq. ad v. 243. Pars decima tertia, de rebus in scena exhibendis aut narrandis, v. 179. *Aut agitur* et sqq. ad v. 185. Decima quarta, de rebus voluptatis causa fictis, v. 338. *Ficta voluptatis* et duo sqq. v. 187. *Aut in avem* et sequens. Decima quinta, utile dulci miscendum esse, v. 341. *Centuriae senio-rum* et quinque sqq. Decima sexta, de ordine, v. 41. *Ordinis haec* et duo sqq. v. 361. *Ut pictura poësis* et quatuor seqq. Decima septima, brevia esse praecepta debere v. 335. *Quid-quid praecipies* et duo sqq. Decima octava, de dictione et verbis, v. 45. *In verbis etiam* ad

K 3

v. 72. Decima nona, de fabularum longitudine, nodo per Deum solvendo, personis loquentibus, vs. 189. *neve minor* et tres sqq. Vicesima, de choro, v. 139. *Actoris partes* et sqq. ad 201. Prima et vicesima, de propriis tragoediae et comoediae coloribus, v. 89. *Versibus exponi* et tres sqq. v. 86. *Descriptas servare vices* et tres sqq. Altera et vicesima, de affectibus v. 93. *Interdum tamen* ad v. 111. Tertia et vicesima, de decoro personarum servando, v. 153. *Tu quid ego* et quatuor sqq. v. 309. *Scribendi recte* et sqq. ad v. 322, cui subjungantur v. 114.

Intererit multum Davusne loquatur herusne

(Sic) et quatuor sqq. Quarta et vicesima, de Romanorum comoedia, v. 285. *Nil intentatum* et tres sqq. deinde v. 202. *Tibia non ut nunc* et sqq. ad v. 211. Tum v. 214. *Sic priscae* et sq. denique v. 289. *Nec virtute foret* et sqq. ad v. 294. Pars sexta et vicesima, de versu fabularum iämbico ad Graecorum exemplum conformando, v. 251. *Syllaba longa* et sqq. ad v. 269, tum, ut in v. 268. mentione Graecorum facta, v. 323. et sq. *Grajis ingenium*. Pars septima et vicesima, cur Romani minus in poësi profecerint, v. 270. *At nostri proavi* (sic) et quatuor sq. deinde 212. *Indoctus quid enim* et sq. tum v. 225. *Romani pueri* et sqq. ad 332. Pars octava et vicesima, indoctis et mediocribus esse poëtis non licere, v. 412. *Qui studet* et tres sqq. tum v. 379. *Ludere qui nescit* et sqq. ad v. 394. deinde v. 366. *O major juvenum* et septem sqq. porro v. 416. *Nec satis est* et duo sqq. denique v. 374. *Ut gratas* et quatuor sqq. Pars nona et vicesima, de poëtarum peccatis venia dignis, vel indignis, v. 347. *Sunt delicta tamen* et sqq. ad 360. Pars tricesima, de recitatione poëmatum, coram amicis non assentatoribus instituenda, v. 385. *Tu nihil invita*, et sqq. ad v. 390. deinde v. 419. *Ut praeco* et sqq. ad finem Epistolae, legente Bouhierio in v. 422. *victum ponere* pro *unctum*, et v. 441. *formatos*.

Pignam, Freigium, Michelsenum et Regelsbergerum maximo studio ordinem hujus operis investigasse nemo facile inficias ibit, et tamen ordinem ab iis indicatum Horatianum esse, vereor ut multis probari possit. Primum obest ipsa partitionis subtilitas, quae quo tenuior ac solertior fuerit, eo minus in opere poëtico, praesertim epistola, locum obtinuisse censeatur. Profecto tam severam operis sibi legem scribere poëtae non solent, minime vero omnium in familiari cum amicis confabulatione. Deinde, si quis Pignae Arborem Horatianam (is operi titulus) vel Michelseni aut Regelsbergeri tabellam cum ipsa Horatii epistola conferre voluerit, nae ille plurimis in locis, quorsum singula descriptionis capita referri debeant, quam Horatiani operis partem quaeque divisio spectet, incertus haerebit. Multa adeo, quae apud Horatium non inveniantur, a se inserta ne dissimulavit quidem Pignas. Dicit in moribus nos debere sequi *verosimile notius* vel *ignotius: notius* autem *decenti*, idque *decenti per se*, vel *relatione facta ad aliud quid.* Tum vero addit: *Omisit Horatius hoc decorum per se, quia actiones humanae in poësi simpliciter considerari nequeant, sed ad aliud semper referantur.* Prologi leges secundum Pignae doctrinam praecepto quinto et vicesimo, v. 136. sqq. positae leguntur, locum tamen iis, in Arbore Horatiana post praeceptum demum quintum et quadragesimum sive v. 251. assignavit. de Episodio secundo præcepto agi dicit, v. 24. At vide, quaeso, ubinam collocaverit in Arbore. Itaque Pignas certe verum Horatiani operis ordinem non exhibuit. At, si alium ex-

hibuit, Horatii inde consilium colligere quomodo possumus? Sunt etiam Freigii, Michelseni, Regelsbergeri magis ingeniosa, quam vera commenta. Quid? Horatione in mentem venerit poësin in theoreticam et practicam dividere; theoreticam poësin in universam et particularem? id si credas, etiam cum Regelsbergero poëtam in versu 112. *Si dicentis erunt* et sqq. praecepta poëseos theoreticae universae, in v. 119. *Aut famam sequere* praecepta poëseos particularis tradere, atque ita versum 118. prioris partis ultimum, versum 119. posterioris pimum esse, statuas licet. Omnino de Regelsbergeri conatu nostrum facimus judicium Eichstadti V. Cl. in epistola, disputationi de Platonis Phaedro subjecta p. 175. „In multis," inquit, „vir doctissimus cupidius egit, quam verius; ad obtinendam caussam plurima contorte explicuit, planeque immemor rationis Horatianae nimio suae opinionis amore, eo se passus est abduci, ut quum nonnulli olim artem sine arte ab Horatio traditam pronuntiarint, nunc poëta artem putida arte scripsisse censendus sit." cf. et Haberf. in praef. ad h. l. p. 232. sqq. quem minutas etiam Michelseni partitiones Horatio non nisi per vim obtrudi posse statuentem p. 228. vere judicasse censemus.

Cum igitur hi viri, quamvis, ut Horatiano scripto didascalici poëmatis ordinem assererent, ingeniose omnia moliti, tamen illud facere non potuerint nisi invito et reclamante textu, satis constat, in illo opere, prouti se nunc habet, talem ordinem frustra quaeri. Quid vero, si turbatus ille textus fuerit, ut supra D. Heinsium et magis etiam Bouhierium conjecisse vidimus, transpositis vero quibusdam ita restitui possit, ut egregius inde poëmatis didascalici ordo eluceat? Ita quidem e duobus illis, unde Horatii scriptum Artem Poëticam non esse recte colligatur, alterum quidem, quo propius saturae opus esse urgent, totum e medio removeri fateor. At vero alterum argumentum, quod in Horatiano opere plura sunt omissa, quae in Arte Poëtica merito quis desideret, certe invictum manet. Etenim quamvis egregia arte dispositus ordo hujus scripti nulla tamen ei, de chori in tragoedia partibus, peripetia et agnitione, carmine Epico, Lyrico, Elegiaco, et quae plura viri docti in eo desiderant, praecepta adjicere aut restituere potest: unde etiam Pignae, Michelseni, ceterorumque vanum laborem arguas. Deinde recte Bouhierio objicias: primo minime necessarias ejus transpositiones esse, cum etiam sine illis ordo in Horatiano opere satis lucidus appareat, non quidem ille didascalici poëmatis severior, sed aliquis tamen: deinde confusionis ejus, qualem ipse statuat, nullam facile excogitari caussam posse: nam, quod de Grammaticis dictantibus ac subinde pausam facientibus scribit, (quod ipsum satis leviter probatur uno isto loco Quinctiliani, ubi citatur Horatius *in prima parte Artis Poëticae*) valeat hoc in quibusdam locis, in plurimis certe valere non potest. Ponamus enim illa a v. 73. *Res gestae* ad vers. 85. Grammaticis separatam partem constituisse, quae praemittenda illi de verbis disputationi a v. 45. *In verbis etiam*, turbato chartarum ordine, eidem postposita fuerit; quid quaeso caussae fuit, cur versum 83. *Musa dedit*, et duo sqq. versui 79. et sequentibus postponerent? Cur, si quondam juncta fuerunt,

Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.

posteriores duo versus in alium postea locum migrarunt? Num hoc quoque dictantium Grammaticorum pausae tribuendum est? Sed certe pausam illi non fecerunt nisi post aliquam partem absolutam. Denique Bouhierii transpositiones saepe nexum sententiarum magis obscurant, quam illustrant. Post illa, v. 333.

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtae,
Aut simul et jucunda et idonea dicere vitae.

in vulgari textu lucidum videmus ordinem. Primum agitur de *praeceptis*, quibus *prodesse* poëtae quaerant, deinde de rebus *voluptatis caussa fictis*. Sed haec eadem apud Bouhierium, quam longissime a se invicem divulsa, nullo jam nexu cohaerent. Illud, quod modo citavimus: *Grajis dedit ore rotundo Musa loqui praeter laudem nullius avaris* in vulgari textu egregium parat aditum ad sequens, v. 325.

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere.

quae eadem apud Bouhier. in parte septima et vicesima ita disputationi de Plautinis numeris et salibus subjiciuntur, ut difficillimus indagatu nexus sit. In vulgato textu disputatio de Romanorum inventis v. 285. sqq. apte subjungitur disputationi de Graecorum dramate; sed apud Bouhierium inconcinne prorsus illi de aetatum observatione.

Plura addere possimus: sed haec jam, credo, sufficient. Neque de D. Heinsii transpositionibus multa nos hic dicere necesse est, cum eas admittendas non esse jam olim plures ostenderint viri eruditi. Sane vel in illo exemplo, quod nos supra attulimus, errasse Heinsium facile patebit cogitantibus, historicum ordinem a poëta servandum non fuisse, tum et reputantibus ea, quae supra, Dacierium secuti, monuimus, in Cap. I. pag. 18. not. 6.

Tandem hocce scripto non quidem Artem poëticam ejusve compendium, at connexa tamen inter se praecepta et ad unum omnia finem spectantia, contineri putarunt Badius Ascensius, Janus Grifolus, Jason de Nores, Lambinus, Cruquius, Marcilius, Baxterus, Batteuxius, Sanadonus, Boscawenus, Wielandius, Colmannus, Hurdius, Engelius, Haberfeldius. Quorum tamen Ascensius et Grifolus librum esse, sive carmen didascalicum, non epistolam putarunt.

Grifoli locum, quo Epistolam esse negat, supra citavimus. Scribit alibi: *quid Horatius Flaccus in hoc libello scribendum sibi proposuisset, voluit ipsa inscriptione statim, ut mos est, omnibus esse notum, de Arte scilicet Poëtica.* Sed Artem poëticam qua significatione Grifolus acceperit, ipse postea docuit hisce verbis: *Constat hic libellus ex iis praecipue rebus, ex quibus maxime, quid deceat, apparet: et quantum ego existimare possum, quaecunque ad rerum congruentiam et decorum attinent, diligenter est persecutus Horatius.*

Putavit igitur, carmen esse didacticum de decoro a poëta servando. Badius autem Ascensius in prooemio, Qualitas, inquit, *carminis ab argumento didascalica, seu doctrinalis. Numerus*

librorum hic non quaeritur: unus enim, nec sane magnus, sed unionum dignitate aestimandus. Sunt, qui in quinque particulas dividant, in quarum prima, inquiunt, poëtarum vitia extirpat, in secunda verbi decorum instituit, in tertia rerum qualitatem et discrimina, item poëmatis genera et inventores demonstrat, in quarta actores, formam agendi, et quomodo consummata fuit, et in quinta ad diligentem castigationem cohortatur. Prima est in principio, secunda incipit a v. 38, tertia a v. 73, quarta a v. 202. quinta a v. 285, quas quidem partes licet non omnino impermixte, ex ordine tamen persequitur poëta. Et sic quidem ordinem scripti agnoscit; at Horatio propositum fuisse absolutissimam Artem poëticam tradere, certe non putat Ascensius. Nam quod alibi dicit in illo prooemio, *scribentis intentionem esse, Pisones ceterosque Romanos in Artem Poëticam instituere*, id quomodo accipiendum sit, cum ex supra tradita Ascensiana operis Horatii summa, tum magis etiam e sequentibus elucet verbis. Addit enim Horatium id fecisse, *ut Romani docte scriberent, et scripta castigarent: doluisse enim poëtae artem tam divinam et tam paucissimis datam a tot imperitis tam impudenter usurpari; Graecos praeterea propter exactam in castigando diligentiam Romanis praeferri.*

Epistolam esse, qua praecepta de poësi dare Noster voluerit, Jason de Nores putat. Idem fere Cruquio placuit, qui *epistolam tertiam libri secundi ad Pisones de Arte poëtica* inscripsit. cf. ejusdem epistola ad filium pr. Batteuxius poëtam in Epistola ad Pisones, doctos homines, ac vulgaribus de poësi praeceptis haud contentos, non nisi exquisitissima quaeque colligere voluisse censet: (*On demandoit à Horace des vues fines et d'un sens profond; des regles de choix, des observations de genie, des jugemens de maitre, en un mot, ce que le plus bel esprit du plus beau siecle de Rome devoit enseigner, s'il faisoit tant que de donner des leçons et ce que les plus habiles maitres, et même les meilleurs livres n'enseignoient pas.* Avant propos *p. 2.*) ordinem vero, ut in epistola poëtica liberrimum esse. Mire Marcilius Horatium, tamquam unum e judicibus, qui in templo Apollinis de poëtarum [aliorumque scriptis judicabant, quaenam scripta in Bibliothecam Palatinam recipi, quaenam rejici deberent, indicare, et hujus judicii normam hanc de Arte Poëtica epistolam relinquere voluisse conjicit. Probabiliter magis Lambinus *epistolam* esse statuit, *in qua de Tragoedia et Comoedia utilissima praecepta dare noster voluerit*: verba autem *de Arte poëtica* omnino posse retineri, modo concedatur etiam licitum esse reliquis Epistolis argumentum inscribi, ut, v. g. epistola ad Numicium vocetur Epistola *de finibus bonorum*, ad Fuscum Aristium, *de comparatione vitae rusticae et tranquillae cum vita urbana et turbulenta.* Sanadonum si audias, aegre ferebat Horatius, nonnullos aequales suos se poëtas dicere, licet ne naturam quidem atque veram indolem poëseos nossent; quamobrem, forte etiam Pisone aliisque amicis rogantibus, diligenter suam hac de re sententiam explanavit. Baxterus, *Satyra*, inquit, *haec est in saeculi sui poëtas, praecipue vero in Romanorum drama.* Baxterum sequitur Hurdius. At Engel. epistolam quidem esse censet; ei vero occasionem dedisse plurima scenae Romanae vitia, quae meliora docendo cum poëtas, tum ineptos poëtarum judices, tollere noster voluerit. Boscawen. (*the Satires, Epistles, Art of Poëtry of Horace translated into English.* 1797. 8°.) hoc poëmate fragmenta contineri colloquiorum putat Horatium inter et Pisones

habitorum, eo fine, ut Pisonum juvenum major ab inconsiderata cupiditate scribendi revocaretur, quod is poëta palam haberi vellet, nec esset: atque ita partim certe, Wielandiine dixerim, an Colmanni sequitur opinionem. Nam Wielandius quidem, in Germanice scripta disputatione (titulum operis in praefatione citavimus, editi a. 1783.) „ Major," inquit, „ juvenum Pisonum ingenti flagrabat amore poëseos, tanto quidem, ut pater serio tandem sollicitus, ne „ filius, huic inconsideratae lubidini indulgens, ea ageret, quae neque stirpis nobilitati, neque „ patris honoribus convenirent, Horatium rogaret, meliora sapere juvenem doceret; eique „ veram poëseos naturam, ejusque tractandae difficultates, atque pericula indicaret: quod „ cum ab Horatio impetrasset, hic, quem fortasse etiam ipse juvenis rogaverat, ut sibi Artis „ poëticae praecepta traderet, optimam occasionem nactus deridendi poëtas sui temporis, hanc „ epistolam conscripsit, qua, sicut eos ne elementa quidem ejus, quam profiterentur, artis „ intelligere doceret, ita juvenem sub poëticae institutionis specie, te vera a poësi deterreret." Colmannus autem in Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones de Arte Poëtica, Anglice conversa et notis illustrata, Londini 1783. in 4°, nescio an inscius eorum, quae in Germania scripserat Wielandius, certe sub idem fere tempus plane similem de consilio Horatii sententiam proposuit, hoc tantum (sane probabiliter!) addito, ob praecipuum in Pisone dramaticae poëseos studium eam prae ceteris partem elaborasse nostrum. Haberfeldio denique definire visum est hoc poëma, Didactico-Satyricam insectationem poëtarum Romanorum Horatii aequalium, cui occasionem atque formam dederint Horatii colloquia vel certe necessitudo cum Pisonibus.

Ex his igitur, qui classem nobis tertiam constituerunt, Grifoli quidem ratio propterea minus probanda nobis videbatur, quia nec ubique decori observantiam inculcet Horatius, ut ipsum librum conferentibus satis apparebit, nec ulla excogitari caussa possit, cur aut, decorum unice commendare volens, alia plurima admiscuerit, aut illud adeo prae ceteris Artis Poëticae partibus commendare Auctor voluerit. Deinde scriptionem Horatii non librum esse sed Epistolam superiori capite vidimus. Debuit igitur etiam naturam epistolarum sequi, id est Pisonibus inscripta argumentum tractare, quod cum Pisonum studiis, opinionibus, temporibus aliquo modo connexum esset. Hoc nec vidit Grifolus, nec videre potuit, cum librum putaret. Quod si quis, epistolam ratus, ita quoque de decoro argumentum esse statuat, observet velim, proxime Pisones ipsos spectantia v. 268. sqq. 291. sqq. 366. sqq. quodvis aliud, quam decori observationem inculcare. Nihil etiam in Horatii scripto est, quod Marcilii confirmet opinionem. Nam quod est in versu 292. *Carmen reprehendite cet.* vereor, ut eo trahi possit. Certe sequentia non possunt. Quae Batteuxius de epistolari hujus operis forma scripsit, ea longe verissima putamus. At Horatium hic rogatu Pisonum exquisitissima, nec facile alibi invenienda Artis Poëticae praecepta tradere voluisse, ei nequaquam adsentimus. Sunt enim pleraque poëtae praecepta tantum non vulgaria, plurima, quae ex Aristotele desumta, supra Cap. II. ni fallor, demonstravimus, magis ea novis illecebris condita, quam nova. Qui simpliciter hic praecepta de poësi et Arte Poëtica tradi putant, ut olim Jason de Nores et Cruquius, ii doceant necesse est, cur Auctor in hac Epistola pauca e multis praecepta et cur haec potissimum selegerit. Sed, sicut id docere Jason et Cruquius praetermiserunt, ita Lambinus, cur de tragoedia et comoedia potissimum noster egerit. Fragmenta colloquiorum

Horatii cum Pisonibus hic exhiberi minus honorificum est Boscaweni de hoc opere judicium. At suntne haec fragmenta? Mihi quidem apte inter se connexa omnia videntur, vel potius unum ac continuum esse sententiarum filum. Baxteri et Hurdii sententia, Satyram hanc esse in Romanorum drama, ideo probabilis mihi non videtur, quia nimis multa in hoc opere cum poësin universam, vel etiam partes ejus a dramatica poësi diversissimas, tum propius Pisones ipsos spectant. Est etiam haec non Satyra, sed Epistola. Quod etsi bene viderunt Sanadonus et Engelius, primarium tamen, ex Epistolarum natura repetendum, Horatii consilium prorsus neglexerunt, quibus nimirum totus iste locus, qui est a versu 366. *O major juvenum* quorsum pertineat, incertum atque indefinitum relinquatur. Is autem et quidem merito Wielandii Colmannique diligentiam vel inprimis advertit. At ne hi quidem, si Haberfeldium audias, totum Horatii consilium mente complexi sunt. „ Primum," inquit, „ non est vero„ simile, Horatium propter juvenem 14. aut 15. annorum tantum hoc opus concinnasse: „ (verum ut Cap. III. vidimus, haec scribente Horatio jam circiter 22. annos natus erat „ Cn. Calp. Piso filius) deinde, quod Wielandius et Colmannus Horatio tribuunt consilium, „ tam astutum est, ut facile propter nimiam astutiam (*superfeinheit*) successu caruerit, ali„ ter illa accipiente Pisone, qui, si ingenio non acutissimus, ut putatur, fuit, certe nihil „ in hoc opere, nisi praecepta sibi tradita scribendi viderit. Et omnino plura praecipit Ho„ ratius, plura fusius atque diligentius praecipit, quam ad indicatum a Wielandio consilium „ pertinere quisquam dixerit. Si, quod illi putant, Piso fil. minus fuit natura factus ad haec „ studia, certe noster eum a scribendo deterrere volens, potius naturam commendare, quam „ artem debebat. At in Horatii opere perpetua est Artis commendatio." Sic fere Haberfeld. nec omnino sine veri specie. Certe mihi quoque magis artem quam naturam commendare semper visus est Noster. Tum et ea, quibus poësin extollit v. 391. *Silvestres homines* et sqq. quorumque clausula est,

ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae solers et cantor Apollo.

quomodo scripta censeantur ad aliquem a poësi deterrendum, haud sane capere me fateor.

Quid vero igitur de ipsius Haberfeldii sententia dicemus? Illud statim mihi mirum accidit, eum virum, qui diligentissime universam hanc materiam perscrutatus esset, et inprimis Horatii epistolarum naturam omnium accuratissime investigasset, eum igitur Horatio in hac Epistola scribendi consilium istiusmodi tribuisse, quod recte Satyram quam Epistolam scribente poëta dignius habeatur. Etenim Satyrica insectatio poëtarum Romanorum, quamvis ob colloquia vel omnino necessitudinem poëtae cum Pisonibus ab eo scripta, quamvis Pisonum etiam nomen in fronte praeferens, jure epistola dici non potest. Alias enim etiam Horatii sermonum Libro Primo Satyras 1. et 6. jure epistolas ad Maecenatem, Juvenalis Satyram 8. epistolam ad Ponticum dixeris. Nam et hisce Satyricis certorum hominum insectationibus occasionem dare potuerunt Flacci cum Maecenate, Juvenalis cum Pontico colloquia. Nimirum epistolarum scriptor non magis alios, quam eum, ad quem scribit, respicere debet; neque etiam verum est, Horatium in hac Pisonibus inscripta epistola praecipue malos sui temporis poëtas insectari. Multis

quidem in locis obiter ſtultitiam eorum ridet, ſed est tota epiſtola magis praecipientis et amice monentis, quam inſectantis. cf. dicta Cap. IV. Quem vero ſpectet monitis, ſatis, ut mihi videtur, indicat majoris illa juvenum Piſonum a verſu 366. ad finem epiſtolae per centum et quod excurrit verſus continuata allocutio.

Omnino ut naturae epiſtolarum, ita ratione habita cum Piſonum, quales eos ſupra Cap. III. cognovimus, tum et ipſius Horatii, item temporum, quibus Piſones et Horatius vivebant, veroſimile nobis videtur, Horatium ad eos, familiares ſuos, epiſtolam hancce ſcripſiſſe aliquamdiu postquam, Piſo filius obſequium praeſtare principibus coeperat; ſcribendi vero cauſſam ei hanc fuiſſe, quod Piſonem istum ſocietate poëtarum, qui cum Augusto Tiberioque plurimi verſabantur, in eadem tractum ſtudia poëſeos, niſi per ſe ipſe, certe ex ejus parente cognovisſet, ideoque eum nonnullis ad rem poëticam pertinentibus monitis a ſe inſtrui, minime ſupervacuum duceret, ne forte, communi deceptus eorum temporum errore, plus ingenio, vel cuidam, ut hodie vocant, enthuſiasmo poëtico, quam arti diſciplinaeque dandum putans, totum ſe aſſentatoribus praeberet; rudia et inculta poëmata, ut praeclaros felicisſimi ingenii foetus, ſtatim in lucem emitteret; et omnino ridiculus poëta exiſteret.

Etenim familiaritatis Horatii cum Piſonibus, ſupra Cap. III. veroſimilem certe cauſſam atque originem indicavimus, Horatii cum Cn. Piſone patre in caſtris Bruti et Caſſii commilitium. Profecto, niſi illa familiaritas fuisſet, Cn. Piſo filius, homo nobilis ac dives et jam principum gratia florens, Horatium, quamvis egregium poëtam, certe libertini filium, tanta libertate ſe monentem vix tulisſet, ipſe natura ferox et ſuperbus.

Vidimus eodem Cap. III., Cn. Calp. Piſonem filium obſequium praestare Augusto Tiberioque coepiſſe biennio fere ante ſcriptam hanc epiſtolam.

Porro ſicut univerſe temporibus Horatii magnus fuit pravorum poëtarum numerus, quod certe aliter fieri vix poterat, tot hominibus poëſin exercentibus, teste Horatio II. Epiſt. I. 108. ſqq.

Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi ſtudio: puerique patresque ſeveri
Fronde comas vincti coenant, et carmina dictant.

cum et pretium nomenque poëtae facile quivis paullo ditior conſequeretur

Impenſis coenarum et tritae munere vestis.

ut e nostro diſcas, I. Ep. XIX. 38. ita praecipue multos hujus generis poetas in Augusti Tiberiique comitatu fuiſſe cum per ſe probabile est (litterarum enim fautor et erat Augustus et magis etiam haberi volebat, Tiberius vero ipſe non optimus poëta erat) tum magis etiam ex Epp. Horatii Lib. I. 3. et 8.

Piſonis igitur, qui in eam aulam et juvenis, et rerum humanarum rudis, et nihil ſibi non arrogans venerat, ista quin traxerit contagio, dubitare vix posſumus. Omnes condere poëmata videbat. Quidni igitur idem etiam Cn. Piſo faceret, *Liber et ingenuus, praeſertim cenſus equestrem Summam nummorum*: addamus licet, praeſertim Cn. Piſo? Quantam vero, poëſi

incumbens, continuo inopum ac famelicorum hominum turbam adolescens concitaverit, qui, ut poëta ait, *Dives agris, dives positis in foenore nummis*, multa donare, lauto excipere convivio, levi pro paupere spondere; atris litibus implicitum iisdem eripere poterat, utique facile est ad divinandum. Assiliebat omnis grex assentatorum et Cn. Pisonem Cn. fil. Cn. nep. optima olim poëmata conscripturum vel et jam conscribere pronunciabat; eam esse felicis vim ingenii; quo qui tantopere valeret, eum jam artis praeceptis nihil indigere: solo enim ingenio poëtas censeri vel ipsius Democriti judicio. Quod cum illi partim etiam ex animo dicerent, ipsi videlicet artem limamque posthabentes, utque in effundendis versibus suo solum ingenio, nec ei valde sano, obtemperantes, ita factos statim in lucem emittentes, haud difficulter juveni ita sese rem habere persuaserunt. At vero Horatius, Romam reducem adolescentem talibus imbutum sentiens erroribus, vel ipse sua sponte, vel forte patris Cnei rogatu, hanc Pisonibus scripsit epistolam, qua praecipue quidem istum juvenem, deinde vero etiam alios sui temporis homines doceret, poëtae omnino opus esse arte, doctrina, labore atque indefesso studio, quibus ad perfectionem anniteretur, cum mediocri esse poëtae non sit licitum. Sunt enim nimis multa in hac epistola, quae id auctori consilium fuisse demonstrent. Statim a principio poëtam carpit, uni ingenio vel potius ejus deliriis omnia permittentem, et hinc nihil nisi monstra procreantem, eundem vero tam arte rudem, atque destitutum, ut fere fugiendo vitio in oppositum labatur, et interdum quidem inceptis gravibus unum alterumve pulcrum pannum assuere, totum vero ponere non possit. Itaque suas quemque antea spectare vires jubet, se ipsum noscere, atque ita convenientem viribus materiam eligere; eam deinde rite ac diligenter tractare, etiam circa verba curiosum: descriptas servare vices operumque colores, alia etiam, quae recenset, discere: denique scribentem carmina limae labore non offendi. Tum et, aliis ingenium, vel potius, nescio quam, insaniam jactantibus, ipse futuro poëtae artem atque disciplinam commendat: ei ad recte scribendum primum opus esse praeceptrice docens Philosophia, maxime Socratica illa, deinde continua vitae communis observatione: ita liberaliter institutum ad perfectionem anniti posse, et vero etiam debere. Id enim maxime urget Horatius perfectum esse poëtam oportere; nobilitatem, divitias, reliqua Pisonem prae aliis ornantia ipsum immunem ab hoc officio non facere. Esse vero etiam dignam poësin, cui tantum laboris homo, quamvis dives, quamvis nobilis et Piso impenderet. Deinde iterum Horatius quaestionem aggreditur, naturane poëta egregius an arte fiat, et quamvis etiam vena divite ad poësin opus esse ultro fateatur, artem tamen atque disciplinam, ut ad alia exercitia, sic ad poësin necessarias esse, magis dedita opera confirmat. Denique Pisonem, juvenem divitem, cavere sibi jubet ab assentatoribus, qui, lucri spe, quodvis ejus, etiam minime excultum, carmen statim, ut egregium, laudaturi essent; at contra fidos amicos consulere, iisque de vitio monentibus et correctionem praecipientibus docilem aurem praebere.

Nimirum obsequii ignarum ac violentum Cn. Calp. Pisonis Cn. filii ingenium supra Cap. III. cognovimus e Tacito. Qua vero occasione magis etiam ab assentatoribus depravatum illud fuerit, certe depravari potuerit, modo indicare conati sumus. Eo passim in hac Epistola nostrum respicere, superest, ut doceamus. Certe v. 163. et 165. juvenis describitur

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Sublimis ———

Dicas eadem apud Aristotelem legi. Concedo: sed cur his potissimum usus sit Horatius, indicari velim. Tali juvenis ingenio certe disciplinam aspernabatur, nihil se non posse confidebat, ignorantiam fateri turpe ducebat, reprehensores tantum non oderat. Quid? eumne tangere videntur ista v. 85.

Cur nescire pudens prave, quam discere malo?

v. 381.

Qui nescit versus, tamen audet fingere. Quidni?
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.

v. 386.

Si quid tamen olim (h. e. post longum aliquod tempus *scripseris*, nam adhuc quidem non convenit. quid enim hac aetate juvenis produceres?)

in Maeci descendat judicis aures,
Et patris et nostras, nonumque prematur in annum.

v. 416.

Num satis est dixisse; ego mira poëmata pango.
Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est:
Et quod non didici, sane nescire fateri.

v. 438.

Quinctilio. cet. ad versum 453. quibus docet verum amicum omnino carminum vitia reprehendere debere, ne poëtam in errorem inducendo gravissimis malis objiciat. Forte ipsius Horatii reprehensionem non optime laturus Piso videbatur, ne scripta quidem sua, ut Flaccus volebat v. 388. cum eo communicaturus, errare quam corrigi malens. Itaque tristem ejus erroris exitum ei ridiculis maxime coloribus delineatum poëta ob oculos ponit, ut qui ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque res secare unus omnium optime nosset.

Ast, objiciat forte quispiam, si propter unum Cn. Pisonem filium scripta est epistola, cur in hujus v. 6. multitudinis numero *Pisones*, in v. 24. *pater et juvenes patre digni* compellantur? Ei primo respondeamus, nihil quidem magis Horatio cordi fuisse, quam ut juvenem istum ab assentatoribus corruptum et pravo errore delirantem saniori menti restitueret; eum tamen hoc consilium suum non aperte prae se tulisse; nam omnino postulasse ferox illud ac violentum juvenis ingenium, ut ad sanandum eum tecte procederet: quod alioquin ab ea manu jam ipsi suspecta forte medicinam ne admoveri quidem sibi passus fuisset. Epistolam igitur Horatium inscripsisse Pisonibus: eum vero, quem maxime peteret, juvenum majorem, non nisi in fine demum epistolae compellandum sibi censuisse. Cf. Colmann. ad h. l. At erat tamen, quod in illa epistola patrem etiam ac minorem filium haud leviter tangeret, patrem quidem ob praecipuam ei liberorum, praesertim majoris filii curam, minorem autem filium ob communem ei cum fratre poëseos amorem. Illud porro tenendum est, Horatium in Epistolis suis eos quidem,

ad quos ſcribat, maxime, ſed tamen ut poëtam etiam alios, univerſum adeo eruditorum hominum vulgus reſpicere: quod, ut de omnibus, ita de hac praecipue verum est epiſtola. Vulgaris, ut jam diximus, hominum Horatii temporibus error erat (et multorum etiam est nostris temporibus) ad poëſin arte non opus eſſe, artem prae ingenio miſeram eſſe, poëtam ſolo poſſe perfici ingenio. Sublatum hunc errorem non ex Piſonis modo, ſed etiam ex aliorum animis voluit Horatius. *Scribentis*, inquit Badius, *intentio est Piſones, ceterosque Romanos in artem poëticam inſtituere, ut docte ſcribant et ſcripta caſtigent. doluit enim poëtae artem tam divinam et tam paucisſimis datam a tot imperitis impudenter uſurpari. Graecos praeterea propter exactam in castigando diligentiam Romanis praeferri.* Itaque lubenter ea, quam ipſi Piſo tribuebat, occaſione uſus est Horatius ad probandum, eſſe omnino poëſin artem, ſive ad poëſin etiam artem requiri. Quare neque tam veteri inſcriptione operis *de Arte poëtica* offendar, modo primum tenere cum Lambino liceat, illam argumenti epiſtolae expoſitionem eſſe, deinde cum Haberfeldio in praef. ad h. l. p. 425. ea nihil ſignificari, niſi hoc, praeter ingenium etiam artem poëticam requiri, ſive, quod modo diximus, poëſin Artem eſſe.

Est igitur haec, nobis judicibus, Q. Horatii Flacci Epistola ad Cn. Calp. Piſonem ejusque duo filios Cn. et L. ſcripta, anno circiter V. C. 731. qua maxime quidem Cn Piſoni filio, poëſin cupidius, quam accuratius tractanti, ſed et aliis ostenditur, arte ad poëſin opus eſſe.

TANTUM.

THESES.

I.

Recentissimae Philosophorum observationes circa lunam, quae dicitur, aliasque res naturales tametsi terrarum hujus orbis originem longe docent antiquiorem esse, quam illam hominum et animalium creationem, cujus meminit Moses Genes. I. nequaquam ideo traditionem Mosaicam infirmant, imo potius divinam traditionis ejus auctoritatem quam maxime probant atque confirmant.

II.

Quam Pericli caussam belli Peloponnesii suscipiendi fuisse jactarunt ejus inimici et Comici, „ eum scilicet, cum pecuniam publicam minus bene administrasset, ejusque administrationis rationem reddere vereretur, aliis rebus populum implicare studuisse;" eam plane abhorrere ab animo tanti viri defendimus, auctorem secuti D. Wyttenbach. *Virum Cl. Bibl. Crit. Vol.* III. *P.* III. *p.* 80.

III.

Perfido minimeque Regem decente consilio Philippus Macedo Phocensibus pacem, simul vero Boeotis ac Thessalis auxilium contra Phocenses pollicitus est. vid. Justin. Lib. VIII. Cap. 4.

IV.

Qui primus in urbe Roma divortium fecit, ei plus damni intulit, quam aut Hannibal aut Spartacus.

V.

Minus verum est, quod de nobilissimo Carthaginiensium duce Hannibale judicium tulit Historicorum Romanorum princeps T. Livius Lib. XXI. Cap. 4. in

sine. „ Magnas viri virtutes ingentia vitia aequabant, inhumana crudelitas, „ perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deorum metus, „ nullum jusjurandum." *Rectius de eo judicavit Polybius in excerptis Lib. IX. Hist.*

VI.

Qui consilium Ciceronis in evehendo Octaviano Caesare reprehendunt, illi vereor, ne ex eventu magis, quam perpenso judicio rem aestiment.

VII.

Non sunt plura hujus vitae mala, quam bona; sed haud raro mala sponte appetimus, bonis autem frui nescimus, ut non sine caussa de hominibus dixerit Jupiter Homericus:

σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 2. Not. 3.	lin.	2. *naufraginm*	lege	*naufragium.*
P. 8. in margine	—	4. *hi*	——	*Hi.*
P. 32.	—	18. λέξῃ.	——	λέξει.
P. 60. linea ult.		*Croterus.*	——	*Gruterus.*
P. 64.	———	I. Epist. II. 3.	——	I. Epist. 3.
P. 68.	—	30. *Scaliger.*; add. *in Praef. Libb. de Re Poëtica.*		

Auctoribus, quorum in praefatione mentionem fecimus, addantur Bouhierius ac reliqui, in Cap. IV. et V. citati, quos cum illa typis describebatur, ignorabamus.